יהוה


INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER FVNDATA MDCCCVII
Ps. CXIX. 169.
כדברך הבינני
JOH. XVII. 17.
ὁ λογος ὁ σος αληθεια εστι
ΑΚΡΟΓΩΝΙ
ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ

זבח שלמים

SACRA

VETERIS TESTAMENTI

SALUTARIA

EXAMINAVIT

GUILELMUS NEUMANN.

LIPSIAE

DÖRFFLING & FRANKE.

1854.

342
Neumann

22.993.

Ad Jehovae militiam evocata Israelitarum civitas per nationum agmina procedit atque festo sanctimoniae decore conspicua. Universa pacti foederis vinculo constricta. Tamen singulorum animus neque integer vitae scelerisve purus, neque coelesti ita deditus legi, ut regni sub signis probe militet divini. Quare impios quoque et scelestos adeo ad sacra admotos fuisse*) non moramur, atque ad altaria accedere non semper candido aeternitatis desiderio perculsos. Sed uti perfectae cujusdam speciei gloria cunctum populi cingit victum, ita clarius testatur sacrorum conformatio nequaquam absoluta sanctam legis ipsius naturam, ex qua divini nihil sibi arrogabit, *qui suam non antea hostiam iugulaverit.* Nituntur ergo sacrificia, qualia ab Israelitis immolata sunt, haud dubie iis temporum virtutibus, quibus Jehovae numen ab instaurando corpore profectum, quod spirituali substratum est ingenio, ad elatiora vitam populi eduxit initia. Illud enim certamen, quod cum anima corpus luctatur, quae suam deponat substantiam, in sacrificali ritu cernitur. Et in eo refulget profundius discrimen, quo terra distat a coelo, homo a divinitate. — Iam Iehovae in quo essentia manat essentiarum oblata, qualicumque desumpta ex essentia per se idem valent. Definiuntur demum offerentium indole. Quae si nondum ea est, sola quae cum sancto Jehovae numine versetur, tamen ubi secespitam movet, cujus aevi profitetur desiderio aut impleatur, aut certe velit impleri. Qui alia cum mente pecudem caedti, Jehovae sacrilega profanat dextra sacra. Pestem vero tremendus ulciscetur saeva pernicie iudex. Tamen quod cum *civitate* pactum foedus, *singulorum* malitia non frangitur. Et quandoquidem in illa haeret horum substantia, publico cultu civitatis mactantur religiones, quarum perpetua singulis dispensentur auguria. Israelitarum igitur quum dotes esse nequeant, quin intimi animorum motus

---

*) v. Venema, De cunctis Judaeis dei foederatis. Dissert. sacr. p. 289.

testes evadant, eam sacrificando celebrarunt verecundiam, qua uni Jehovae numini penitus se adstrictos sentiebant. Sed uti motus variatur horarum successu, ita donorum effigies, cui se impressit.

Varia inde sacrificiorum, quae lege Mosaica statuta reperimus, genera nascuntur. Quorum uni, quod paullo curatius illustrandum hac commentatione nobis sumpsimus, ante omnia suum figamus in universo sacrificalis caerimoniae complexu locum. Namque ubi convertimus nos ad indagandam religionis *certa quadam sacrificiorum specie* depictae rationem, ubi qua via quaeritur *singularibus* sese ritibus impresserit, et quid inde augmenti impetritum teneamus ad intimam ipsius aggestae naturam, examinanda hinc *generalis* multimodae in veneratione caerimoniae *compositio*, illinc *variatae* data occasione *regula*. De his nunc videamus.

I.

SACRIFICIORUM DISTRIBUTIO IN LEGE MOSAICA.

Omnia quibus Israelitae Jehovam honorabant dona aut *oblationum* forma aut *sacrificiorum* traduntur. Nititur hoc discrimen in religionibus ipsis. Nam eae, quibus *inviso* dei numini se adstrictos sentiunt, muneribus altarium flammis sursum evectis praedicantur, quum sacerdotum fiant, divinam quae *sacerdotali in vita* oppetunt revelationem. Illa coelestes spectant, haec terrenas Jehovae vias.

De sacerdotum essentia dubium nobis omnino esse nequit. Nam istud edictum, quo foedus cum populo ineundum deus initiavit, Ex. 19, 4—6, firmum nobis testimonium constituit. In memoriam redegit Jehovah populo novis sacramentis adstringendo sanctam vindictam, qua perditis Aegyptiorum copiis populum sibi vindicaverit, vindicatum in aquilae alis gestaverit. Iam si in foedere perstare velint et obedientiam praebere et obsequi supremae voluntati, fore pollicetur ut ipsius sint, ex omnium numero nationum selecti. Nam tota terra inquit mea est, et vos mihi eritis *sacerdotale regnum* et *sanctus populus.* Haec universi ratio. Sed qui versari coram Jehova voluerint sacerdotes, iis sanctimoniae sigillum imprimendum, ne ab augusto conterantur. Est igitur in sacerdotio species concepta populi summa ac perfecta, proposita vitae studio, pio proposita desiderio. Haec enim species sola conventu gaudet cum aeterno.

Quae quum non exsistat iam in terrena conditione neque absoluta sit aetherea imago, una cum populo sacerdotes quoque a Sinai tremoribus repelluntur, v. 24, ne grandibus Jehovae horroribus consumantur. Moses tantum et Aharon adscendunt ad percipiendam gloriam, qua legis in summa foedus inauguratur. Quo constituto legis terrestri in forma selecta cum gente Jehovah habitat. Habitationis rursus legis tabulae exhibent effigiem. His qui accedunt, huc qui adducunt populum, sacerdotes sunt. In iis ideo populi natura et Jehovae coeunt gloria, ipsi foederatorum sunt internuntii. Tamen Jehovae in iis revelatio Israelitis non integra comprehenditur. Namque sanctum eius atque sublime numen est, cuius rerum universitas flatu tenetur, cuius halitu sustentatur populi vita ac cingitur, cuius instinctu singulorum praecordia palpitant, cuius spiritu movetur fortunae urna. Hoc numen ubi humanas mentes percellit, non est, cui devotionis dona offerantur, nisi ipsi. Quidquid enim humani abest ab hac immoti maiestate. Contra internuntiis utitur Jehovae voluntas atque arcani nominis interpretibus, ubi et natura et hominum vita introducatur in consilia vaticinantis, beantis, consecrantis. Etiam hoc effectu pectora tanguntur. Coelestis populi divini substantia, qualis sacerdotum est, huic efficaciae praebet divinam speciem. Ideo his traduntur, quae Jehovae cedunt, dona, quorum usu diva cum hominis sociata honoretur natura et praedicetur et advocetur, qua Jehovae ineffabile numen suum regit mundum.

Hinc nascitur istud discrimen, quo *oblationes* a *sacrificiis* distinguendae sunt. Consanguinitatis ligamento aperto cohaerent. Deut. 12, 6. Utraque ad dona pertinent Jehovae devota. Talia illa quoque, quae a civitate ad exstruendum sacrarium conferuntur (תרומה) Ex. 25, 2—3, talia ligna, quae olim Nethinaei, verum sub altero templo pii ex Israele apportabant festo die, Neh. 10, 35. 13, 31 *), ipsi porro Levitae (נתנים) Num. 8, 16 et qui libero ex impulsu Jehovae ministerio se tradiderunt, Joseph. Ant. IV, 9. Divina oppetunt omnia auguria, tamen suo quodque modo. Sacrificia non dantur, nisi in coelestem Jehovae unam voluntatem, quum dotes omnino praedicent Jehovae numen per vitae ordinem ter-

*) v. Leidekker, de republ. Hebr. p. 627.

restrem exaratum. Generalis differentiae sensu commotus legum lator discrimina statuit, ita ut et ritibus et materia oblationum fixa sit cum sacrificiis intima simul cohaerentia et discrepantia. Eadem nitent in ratione, quae in tugurii delubro ab ara segregavit mensam auratam. Sed quum victus successu in universum haud raro una cum altera coalescat religio, iisdem interdum nominibus modo haec, modo illa insignita sunt. Etenim oblationes tantum non omnes sacrificali quodam ornatae apparent ritu. Unde Rabbini haud exiguam earum multitudinem ad ferta (מנחות) extulerunt toti coetui communia *). Festa maxime Pentecostes dono adduntur Lev. 23, 18—20. Quid vult sibi duplex haec venerationis forma? Nonne Jehovae *coeleste* numen *terrestris fundamentum* est revelationis ac *principium?* Eius efficacitas terrarum in ordine non spectatur, nisi coelesti fundata effectoris in gloria. Populi autem terrestris historia, uti humana illa promovetur ac naturali materie concepta Jehovae efficacia, ita firmo ipsius in gubernaculo scatent omina, quibus sancitur ac beatur. Telluris quaelibet corona coelesti radiatur dei in gloria.

Donorum si pergimus in distributione, varia rursus sacrificiorum esse genera iam supra intelleximus. Suis singula nominibus legum lator signavit et caerimoniis. Haud vile in re critica nuper momentum quaestio nacta est de horum partitione. Namque si cui placuit scriptori uno alterove nomine omnia ista complecti, criticae qualis hodie exercetur arti visum est, ut ea genera, quae non distincte appellavit, ne cognita quidem habuerit itaque Leviticorum sacrorum tunc normam nondum exstitisse sit testatus **). Tu facile huius artificii inanitatem persequere, ubi istos non plane destitutos sana mente fuisse tibi persuaseris. Tamen quum et viri in destruendo errore paullulum a recta aberrasse videantur, accuratius circumspiciendum erit, qualia Vet. Test. usu de primariis quatuor sacrificiorum generibus stabiliantur.

Sunt enim qui ex ratione, qua modo שלמים, modo זבחים cum עולות copulari solent ad omnia sacrificiorum genera complectenda, Outrami sibi sententiam sumpserint probandam, qui voce זבחים in

*) v. Hottinger, Jur. Hebr. Leg. p. 145.

**) In tali ratiocinatione Grambergii praecipue versatum est acumen.

sacris literis, praesertim voci Olah addita, nulla designari arbitratur *) sacrorum genera, nisi tantum sacra salutaria, atque nomine illo עולה etiam piacula contineri **). Sed argumenta, quibus hoc iudicium fulciunt, ipsa nobis paullo aliam de discrimine opinionem confirmarunt. Etenim ante omnia עולה non tantum solida et piacularia notat sacra, sed simul *salutaria* quoque. Ita certe in narratione 1 Chron. 16, 2 ויכל דויד מהעלות העלה והשלמים *adscensio* videtur utrique generi attribui, perinde atque Ps. 51, 21 taurorum prosiciis. Et si Deut. 33, 10 bona prece Levitarum Moses ita prosequitur ministerium, ut vaticino ex ore canat: ישימו קטורה באפך וכליל על מזבחך, nonne totum caerimoniae complexum faustae sorti insinuavit? כליל autem et עולה eandem tenere speciem concedunt. Quid quod adeo arctiores voci כליל fines ex ipso ritu definias? Clarius etiam est, quod Esr. 8, 35 primum solida commemorantur, deinde piacularia sacra, tum verba adiecit scriptor הכל עולה לה'. Unde generalis natura vocis patet. Et quid aliud iure exspectemus? Solidis hostiis generalem religionis Israeliticae exhiberi figuram iam antiquo usu demonstratum est, qua *quidquid humani in essentia viget* Jehovae voveatur. Huic piorum animorum omnis inhaeret impulsus. Cur non illa expressum dicamus figura? Propria ei vis in *adscensione* est. Scandit enim ad deum hominis quaelibet victima. Unde factum, ut generali hac specie aut reliquae quoque immolationes signentur, aut peculiares aliae quaedam cum ea jungantur, quae modo ad salutaria spectare, modo ad piacula possunt.

Deinde זבח non semper idem significat quod שלם. Potius si עולה unam sacrificalis summae partem concipit, altera appellatione זבח indicata est ***). Rem bene iam Gussetius †) sensit, licet causas non perspexerit. Quaeris testimonia? Advertas primum ad verbi usum. Habes זבח de generali ritu sacrificandi Eccles. 9, 2 positum, ubi pius impio ita opponitur, ut iste Jehovae libaverit, hic non item (לזבח ולאשר איננו זבח). Porro 1. Sam. 1, 21. 2, 19. Hierosolymorum adscendit ad fanum cum familia Elkanah, ut annua

*) De sacrif. p. 99. 107.

**) v. Hengstenberg, Beitr. III. p. 86 sq. Comm. ad Ps. 51, 19. Vol. III. p. 37.

***) Quadrat huc discrimen inter viscera et sanguinem in caerimonia statutum.

†) Lexicon p. 415.

sacra obiret (לזבח לה׳ את זבח הימים ואת נדרו). Haec autem sacra complures amplectebantur oblationes. Clarius autem universalis illa notio non potest definiri, quam ea ratione, qua זבח ad humanas quoque hostias pertinet 1. Reg. 13, 2. Ps. 106, 37. Ez. 16, 20. Subsistamus uno in loco. Accedit vates ad altaria, in quibus Jerobeam in eo est, ut suffitum adoleat. Jehovae instinctu compulsus aram acclamat. Filium pollicetur Davidicae genti Josiam. De quo ait: וזבח עליך את כהני הבמות המקטירים עליך ועצמות אדם ישרפו עליך. Pendet vaticinii acerbitas ex iure talionis. Hac in ara qui sacrificarunt sacerdotes, in eadem sacrificantur et ipsi, hostias qui combusserunt, erunt combusti, in qua spiritus dona superstitioni structa, in eadem ossa fumabunt*). Vides hic sacrificiorum ritus re vera et incendio (עולה) sisti et mactatu (זבח). Ideo utrumque universum corpus significare potuit; cf. 1. Reg. 8, 5. Jes. 65, 3. — Quod de verbo valet, idem in nomine זבחים cernitur. De eo nitidum exstat testimonium Ps. 51, 18. Jehovae non placere mactata (זבח) canit David, incensa (עולה) non habere grata deum. Hic ad sacrificia salutaria non pertinere orationem, lugubri totius cantici ex fletu patet, qui peccatorum mole pressus piacularem oppetit hostiam**). Deinde v. 19 poeta confitetur, quae vera Jehovae sint sacrificia [זבחי אלהים], contritum nuncupans animum atque caesum plangore cor. Tum v. 21: Tauri, inquit, in altaribus adscendent, quando Jehovae placebunt universa, quae justis manibus oblata, sacrificia (זבחי צדק). Et haec rursus voce comprehendit עולה וכליל. Nam plane dedita, coelesti immersa castitati debent esse, quae iustas manus repleant. Hinc sane apparet, ea quoque quae aliquando non placuerint augusto numini, non solo salutarium ritu facta esse. Ita Jes. 1, 11 omnia pariter sacrificia spernuntur, quum et adscensionis mentionem iniiciat propheta et adipis et sanguinis. Eadem natura dicti 1. Sam. 15, 22, ubi Samuel Jehovae

*) cf. Keil. Comm. p. 205.

**) Iam Luther et post eum Hengstenberg hic de *gratia* potius agi existimarunt. Sed eam qui ex Ps. 34, 19. 147, 3. eruant, equidem non video. Ipso autem hoc in carmine grato sensui et v. 10 et v. 14 obstant. Ex v. 15 inde cunctae civitatis respectum habet poeta (cf. Stier, Siebzig ausgew. Psalmen II. p. 211). Illi adversum sentit gravius suum onus. Avidius desiderat cum deo pacem, sanctam integramque consuetudinem. Qui si redirent ipsi dies!

non probari dixit עולות וזבחים כשמע בקול ה׳, atque addidit הנה שמע מזבח טוב להקשיב מחלב אילים. Hic iam si vellemus distinguere genera, salutaria sane salutaribus responderent, arietum adipes holocaustis. Sed cur pro iis adipes memorentur? Prov. 15, 8 sacrificia impiorum (זבחים) opponuntur proborum precibus. Vides aiunt hic salutaria spectari. At nos orationes universae sacrificandi religioni potius quam singulari isti formae cedere evicerimus. Posses adeo non temere hanc ex verbis eruere sententiam: Maligni quidquid agunt, ut culpa liberentur, frustra agunt. Piorum satisfacit deo supplicatio. — Lev. 17, 8, si זבח idem esset quod שלם, qui praeceptum cum lege conciliemus, ex qua peregrino non licebat Jehovae salutaria caedere sacrificia? Generalis haec species etiam ibi elucebit, ubi cum voce מנחה copulatur זבח, 1 Sam. 2, 29. coll. v. 28. Ps. 40, 7. Jes. 19, 21. Dan. 9, 27. Quid potest dubii esse, si 1 Sam. 3, 14 in vindicta qua Eli punitur legimus: נשבעתי לבית עלי אם יתכפר עון בית עלי בזבח ובמנחה עד עולם? Ad culpam adeo et delicta potest respicere vox. Apud Jesaiam Aegyptus accedit ad Jehovae sacra, hostias ducit, vota solvit. Cur salutarium illas caerimonia vates viderit jugulatas? Potius omnia dant, quae dei sunt, et legitima et votiva. Daniel vaticinatur plane abrogandum hunc colendi deum modum. Quid multa? Vides Jos. 22, 27 distincta inter se עולה et זבח et שלמים, contra v. 23 מנחה et עולה et זבחי שלמים et v. 26. 28. 29 עלה et זבח. — Haec sufficient, ut quae nomine זבחים notentur sacra intelligamus minime ex universa sacrificandi specie removenda esse. Contra uti עולה ita זבח omnia omnino complectitur sacrificia, quandoquidem in iis quae principium movet duplex rituum figura prostat, victimarum ad coelos *elatio* illic, hic *caedes*.

Iam vero ubi iunguntur, utrique sua manet generalis haec vis. Quare 1 Sam. 15, 22. Hos. 6, 6. amor atque proba dei veneratio iis opponuntur. Cohaerent ergo inter se harum instar virtutum. Nihil aliud poterat Moses intendere, si eà enumerat sacrificia, quibus instituendis a Pharaone petit sanctionem Ex. 10, 25. Etenim uti nomini זבח haud raro verbum עלה adstruitur Lev. 17, 8, ita verbum זבח vel cum עולה vel hostiis ei substituendis copulatur Num. 22, 40. coll. 23, 3. Lev. 9, 3. 4. Ex. 20, 24. — Unus ex his ritibus si praecipua quadam in re excellit mole, possunt nomina

ad ea referri genera, in quibus ille peculiari viget cura expressus. Elata ad coelos Jehovae consecrantur. Quod uti in solidis, sic in piacularibus quoque victimis valet, quippe quae integrae *sacerdotum* usui destinentur*). In immolatione nondum *plane* absolvitur sacramenti actus, ita ut *plane* consumpta queant sacrificia opponi *partim* consumptis. Ideo piacula huc quoque referri poterant. Et certiore hac via nos quoque ad eum terminum devenimus, quem Hengstenbergii argumentatio assecuta est. Nam ex variis partibus si conspiciuntur, possunt iungi

1) עולות וזבחים

ut sint aut sacrificia in universum,

aut solida et { salutaria / piacularia

aut solida / piacularia } et salutaria.

2) עולות ושלמים

ut sint solida / piacularia } et salutaria.

Hic non nutritur artis quaedam regula, ad quam certa et fixa redigantur nomina. Sed uti tota sacrorum conformatio *viget*, ita vitae ea quoque cohaerent vinculis, ut spiritu perflata fiat optio, prout aut omnia aut singula tantummodo in sermonem introducenda sint.

Tamen equidem minime negaverim, *interdum* re vera זבח sigillatim referri ad salutaria sacrificia. Quod si est, ratio datur in rituum hac specie, quae circa *mactatum* vertitur; cf. Gen. 43, 16. Testimonium praebet quum universalis mactandi notio ad usum quotidianum Deut. 12, 21, tum ille mos, quo ad dapes sacrificales adornandas bestiae mactantur Deut. 27, 6—7. 1 Reg. 8, 63. Ps. 22, 6. Inde factum, ut nihil usitatius sit formula זבח שלמים vel זבח זבחי ש' Lev. 17, 5. Deut. 27, 6. 1 Reg. 8, 13. Immolatio iis ritibus collocatur in primario ordine, qui pertinent ad epulas sacrificales instruendas. Qui in salutaribus maxime pendent, id quod Lev. 19, 6. praecepta testantur. Sed

*) Illud discrimen huc quadrat, quod Iudaei statuunt inter sacra sacerrima et levia (קדשי קדשים et קדשים קלים), de quo v. Outram p. 146.

uti neque dici quit, plane idem esse שלם et זבח, id quod iam hac iunctura זבחי ש' refutatur, neque usquequaque זבחים non tendere nisi ad salutaria sacra, ita potius generale nomen זבחים pro variis loquentium necessitatibus modo arctius constringitur usu, modo latius extenditur. Si quid simile quaeris, ex Deut. 12, 6. 11—12 tibi sumpseris, ubi epularum laetitiae etiam super solidas hostias effunduntur.

Ex hac argumentatione iam de primariis sacrificiorum generibus haec nobis constant. Duabus appellationibus omnia comprehenduntur, ut aut alteram ex iis, aut utramque proposuerint scriptores, quatenus ex certa quadam caerimonia ad totum ritus complexum relata est. Itaque

זבחים vocantur 1) omnia sacrificia omnino.
2) omnia cruenta.
3) ea ex cruentis, quae non plane cremantur.
4) salutaria.

עלות audiunt 1) omnia sacrificia.
2) omnia, quae plane comburuntur*).
3) solida.

Ex his notionibus quae singulis locis aptae sint, circumspiciendum est.

Quibus praemissis iam ad universum sacrificiorum corpus illustrandum revertere possumus. Enumerantur paullo curiosius Num. 15, 3 sqq., ita ut nomine אשה לה' comprehensa fieri dicantur לעשות ריח ניחח לה' מן הבקר או מן הצאן, et Jer. 17, 26 eadem populo observanda inculcavit vates, ut divinam perveniret ad salutem. Non enim licet vacuis manibus Jehovam adire Ex. 23, 25. 34, 20; coll. v. 24. Meliora quidem per se habere potest tremendus coelorum rex et habet Mal. 1, 8. Sed pietatem quaerit, illis quae se digerat Prov. 15, 8. Quae si vigore exuberans voluntario ex impetu substantiam adigit Jehovae ad sacramentum, plane dedita aeterno numini, in victima *solido* ritu operatur. Contra si forti divinae aut gratiae aut irae potentia concussa, modo in *salutaribus*, modo in *piaculis* suam prodit indolem. Ex iis, quae histo-

*) Vel si magis placet, quae ex offerentis possessione plane auferuntur. Illa Drechsleri definitio, die Unwissenschaftlichkeit auf dem Geb. der A. T. Kritik p. 107.

riae decursu Israelitarum sunt circum altaria gesta, cognoscimus vitae quotidianae ad duas istas partes diversam viguisse religionem. Tota qualis est in terra populi natura Jehovae est. Sed uti benigni modo gratia, modo aemula irati maiestate concutitur, ita ligamenti sensus variatur, quo pendet ex diva origine. Ira vero pariter duplici via animo inspergitur, quippe quae aut peracti delicti *culpam* nutriat atque concitet dolores, aut *irritamenta minitantis stimuli* acerba torqueat cum violentia. Quatuor inde caerimoniae formis universum a Mose sacrificandi cultum comprehendi videmus. Sunt enim sacrificia aut *solida* aut *salutaria* aut piacula, quae modo *pro reatu*, modo *pro peccato* litantur.

Tamen nondum ita videmur totam victimae, quae sacris praestabatur, copiam exhausisse. Ante omnia illis *ferta* adiicienda et *libamina*, quibus transitus figitur ab oblatione ad sacrificium. Horum quoque iam claruit nobis indoles, materiem quum perspexerimus. Namque victum quem offerunt agrorum frugibus sustentatum eidem infligunt religioni, quam pecudes sternunt, ut differentia non tam in causa figatur quam litationis ipsius in effigie. — Aliud discrimen diversis, quibus sacrificia immolantur, locis satum est. Distinguendum est enim inter dona vestibuli et sacrarii. Coeunt vero illa in *suffimentis* auratae interioris delubri arae superstructis, quae sacerdotalis populi ex istis terrarum vicibus exemptam adumbrant conditionem.

Omnia haec discrimina si iam uno obtutu figimus, haec oritur series:

Dona					
Oblationes		Sacrificia			
		Atrii			Sacrarii
		cruenta		farrea	
Panes in tugurio propositi.	Animalium decimae.				
		pro reatu	solida	ferta	
Frugum primitiae.	Animalium primogenita.				Suffimenta.
		pro peccato	salutaria	libamina	
Frugum decimae.	Hominum primi natu.				

Cingitur ea serie religiosa quaelibet Israelitarum verecundia. Nihil igitur restat, nisi ut horae introducatur in vices. Sacrificandi enim usus populi in vita haud paucis religionum momentis augetur, ut dierum festorum celebritates, lustrationes, consecrationes, detestationes singulari modo vulgares ritus definiant. Idem autem semper valet, sive privatorum sint sacra, sive familiarum, sive tribuum, sive civitatis omnino, quum illorum religio pendeat uno ex foedere a Jehova suo cum *populo* pacto. Quae variatur inde manuum virtus est, quarum ope victima cadit.

Trahunt ita sacrificia divinam populi substantiam, quando turbidam terrestris studii conquassationem effugit, ut sua fruatur in deo pace, clandestino cumulant historiae fructu, profundius immergunt quotidie fortunae in fabricam, sanctos beati in tramites, donec missis vestibuli initiis ad penetralis aram subsistat, ubi igneas adyti per umbras fracto radio stella micat crucis Christi.

II.
SACRIFICIA SALUTARIA.

Ubi tota tali modo substantia hominis deo obviam sese positam habet divinisque in fortuna revelationibus, quonam acrius potest perfundi, quam divae *gratiae* sensu? Hanc vero ea contrectant sacrificia, quae speciali hoc libello curae subiecturi eramus.

Usitatum iis nomen est זבח שלמים Lev. 3, 1—17. 7, 11 sqq. Si una cum solidis hostiis vocantur, generaliori appellatione זבחים notari supra diximus, ut ea indicentur sacra, quorum caerimonia animalis in caede proprium habet cardinem atque definita quaedam pars usui sacrificantium redditur. Porro dicuntur solo שלמים Lev. 7, 14. 9, 4. et שלם Am. 5, 22. Satis amplum occupant in pietate populi spatium. Distingui enim videntur in ritibus Mosaica lege fixis tres eorum species, quum Lev. 7, 11 תורת זבח השלמים dirimatur subiectis v. 12. אם על תודה יקריבנו et v. 16. ואם נדר או נדבה זבח קרבנו, ut salutaria sacrificia aut laudi aut voto vel liberalitati strata sint. Duo extrema genera נדר et נדבה solent simul semper commemorari. Tamen nequaquam eodem niti utrumque religionis impulsu et ex Lev. 22, 21 patet, ubi particula או disiunguntur, et ex v. 23, ubi quod in liberali admittitur, a votivo repulsum est. Sed inter eas quoque victimas quae laudi cadunt et

votas discrimen est, quod non solum isto ואם Lev. 7, 16. munitur, sed etiam addita ad utrasque fertorum copia, quum votis simplex sit pista in oleo Num. 15, 9, laudativis multiplex Lev. 7, 12—13. Quare si variis iam generum nominibus ducimur, *voluntarium* (נדבה) nuncupatur sacrificium, quod quis proprio pietatis motu ductus praeter necessitatem praecepti Jehovae facit, merae liberalitatis et affectus pii testimonium; *votivum* (נדר), quando voto quis vel se ipsum vel animal quoddam ad offerendum obstrinxerat. Utrumque ideo non pendet certa fixaque quadam e lege, sed hominis ex arbitrio. Contra *laudativum* (תודה) ab iis datur mandati coelestis ad normam, qui vel e periculis gravioribus liberati sunt, vel magnis dei beneficiis affecti aut afficiendi, ut Jehovae nomen rite et confiteantur et collaudent*). Haec ratio appellationibus tam clare stabilitur, ut pleniori proprie non indigeat argumentatione. Tamen discrepantiae momenta nondum ita nobis exhauriuntur. Sunt enim qui laudativi terminos arctius cohibeant, ut in gratiarum actione solvatur**). Provocant maxime ad auctoritatem Syri interpretis, qui pro eo ܬܘܕܝܬܐ substituerit, et Arabis, qui شُكْر dixerit. Sed satis ni fallor infirma haec auctoritas. Iam LXX interpretes potius consentiunt cum Philone, qui de vict. p. 651, F. ait: *τῆς δὲ τοῦ σωτηρίου θυσίας ἐν εἴδει περιλαμβάνεται ἡ λεγομένη τῆς αἰνέσεως*. Quid quod istorum non aliud spectant quidquam versiones, quod ipse Hebraeorum usus idem confirmat? Syriacum illud 1 Cor. 14, 16. 2 Cor. 9, 12. Graecum *εὐχαριστία* reddit. Hoc autem priori in loco praemissis definitur *ἐπεὶ ἐὰν εὐλογήσῃς*. Arabicum شُكْر tam anceps est, ut et bonum significet opus deo praestitum et beneficium a deo profectum. Perpendas, quaeso, quae ex libro Tarifat Freytag***) ad vocem adscripsit. Equidem unam hanc repeto sententiam:

فالعبد يشكر الله اى يثنى عليه بذكر احسانه الذى هو نعمته والله يشكر للعبر اى يثنى عليه (†بقول احسانه الذى هو طاعته.

*) Ita iam Carpzov. App. crit. p. 706, IV.

**) Scholl, Studien der würtemberg. Geistlichkeit. V, I. p. 114 sqq.

***) Lex. Arab. II. p. 442.

†) Quod alii legunt بقبول nativam indicii indolem non tangit.

Vides nihil commune hoc iudicio statui vocis شكر cum يلدى, cui in III coni. notio pensandi, par pari referendi. Quod probe advertas ad exponendam appellationem שלמים. Gratiarum ergo actio illis ipsis interpretibus non satisfecit. Et Hebraica vox revera latius panditur. Verbi ידה forma Hifil הוֹדָה ab ostendendo progreditur ad celebrandum, laudandum, sive verbis, sive actu. Nimirum ita gratiarum actio per se datur. Ipsa laude perpetratur Gen. 29, 35. 49, 8, et 1. Chron. 29, 13, quod v. 10. antecessit ברך, dispensatur in מודים et מהללים. Sed nihil deo *retribuunt* ibi. Eius enim sunt quaecumque adigunt ad operam v. 16. Quam ob rem verbo 1. Reg. 8, 33. Ps. 54, 8. adiicitur שם ה׳ et Ps. 106, 47. 122, 4. לשם ה׳. Namque si revelationis divinae meminerimus hoc nominis signo comprehendi evolutionem, nonne voce monstratur ac laude deus, qualem se revelavit? Inde iam תודה internam quae recludit animae naturam confessionem notat Jos. 7, 19. et Jehovae comparat honorem Esr. 10, 11. Quid miri, si ad gratias reflectitur agendas *), ubi sensus fundit Jehovae beneficiis auctos? Ps. 26, 7. Coeunt autem in *laude* Ps. 30, 13. 42, 5, ut adeo chori, qui largam dei praedicant misericordiam, possint Neh. 12, 31. 38. 40. תודה vocari. In hac igitur subsistendum, si plenam sacrificii eruere volumus indolem, quod mactari dicitur על תודה Lev. 7, 12. Donum est, quod surgit ex altari animae, quae tota est Jehovae in laude, in celebranda Jehovae bonitate. Ubi haec pietatis conditio viget, ibi prosperae res et divino quidem numine. Laudativa David offert Ps. 116, 16. 17 deo, qui vincula diripuit, restitutis maiorum sacris Hiskias 2. Chron. 29, 30, patriae suae regnoque redditus Manasse 33, 16. Antiquum Abenesrae decretum: טעמו שיתן תודה לשם שנמלט מצרה. Num dubitemus ad *impetrata* illa respicere Jehovae beneficia? Quid inde sibi sublegerit religio, litata profitetur victima. Ineffabili refulget gratiae hominis conscientia, quae alta voce clamat coelestem beneficentiam.

Sed iam occurrunt quae a laudativis distingui cognovimus variato ritu *votiva* et *voluntaria* sacrificia. Haec quadam via ad *impetranda* demum Jehovae beneficia referenda esse dudum senserunt. Tamen apte nemo adhuc retulit. Votorum natura Vet. Test.

---

*) Notionis transitum adumbrant Ps. 51, 5. 6. dicta.

in rebus haud obscura. Saepius in historia exiguntur. Eximia Jacobi Gen. 28, 20 prostant et Samuelis exempla 1. Sam. 1, 11. Religio eorum sanctissima Kohel. 5, 3. 4. Ps. 116, 18. Ad mentem pertinebat arctius ad Jehovae rerum gubernaculum adstringendam, quod victrici potestate fata ducit. Ideo Deut. 23, 22. Num. 30, 3 sqq. certis legibus ordinatur ac sancitur. Dirissimam inter vota speciem sacerrima exsecrationis perhibent iura Num. 21, 2, qua qui non voluntarii ad Jehovae sacramenta convenerunt, atra perniciei ac mortis violentia eo compulsi sunt*). His iam votis quid est cum sacrificalibus rogis? Poetae solvenda strictim cum hostiis copulantur Ps. 66, 13—15. Duplex igitur cogitationis hic via. Aut sacrificia poterant voveri facienda, exoptata postquam deus concesserit desiderio, aut omnino immolari, si felicem quendam auctor concepit alius voti eventum. Prius spectari in legibus Lev. 22, 21 videre est, ubi sacrificia Jehovae obmoventur ad persolvenda vota [לפלא נדר]. Debemus ergo hominem nobis fingere, qui ut impetriret divini quid hostiam dicavit litandam, quando quod cupiebat impetritum fuerit. Iam divae gratiae ditissimas amplexus est opes. Quo modo quam promisit rite solvat hostiam, Mosis praecepto statuitur.

Accedit voluntarium sacrificium. Quandoquidem cum illo solet componi, discrimen quo variantur in ipsis haereat necesse est. Si quid devotum Jehovae, necessitatis catena trahitur ad altaria. Id tantum *voluntarium* est, cujus non est stimulus, nisi proprii motus liberalitas. Recte igitur Scholl**) arcuit ab voluntariis his sacris adeo beneficia divinitus tributa, ne grata horum remuneratio alieni quidquam immisceret verecundiae. Ita re vera peculiare sibi nanciscuntur auspicium. Quale reliquis adversum est? Jehovae si ad cumulandas laudes magnifice facta evocant, quibus celebrantium praecordia modo beata sunt, si humanis respondens votis exposcit sibi numen dicatos honores, gravida coelesti rerum moderationis flamine religio prodigam animae enititur substantiam, quae quidquid coelitus radiatur gratioso dei ex nutu sentit emanare. Uti cum maxima largitate fruges fundit ipsa Jehovae opu-

---

*) Recentior illa exsecratio, cuius Esr. 10, 8. vestigium, plane abhorret ab hac prisca.

**) l. l. p. 116.

lentia, id quod Davidis praeconium movet גשם נדבות תניף אלהים Ps. 68, 10, sic pia hominis liberalitas ad fastigium pervenit hora, quando sacerdotalem aeternitatis regem salutat deposita humanitatis ad aram corona, quam vaticina porrigit sors Ps. 110, 3: עמך נדבת ביום חילך בהדרי קדש מרחם משחר לך טל ילדתך.

Quum foederis simulacrum sacri tugurii contignatione inter Israelitas conderetur, larga manu conferunt, quoscumque impellit animus [כל איש אשר ידבנו לבו] Ex. 25, 2, quidquid pretiosi habent atque sacrario adaptandi 35, 21 sqq. Quovis mane adiguntur denuo ad munifica dona 36, 3. Exstructo delubro munificentia non abrogatur. Grandis in aedificando templo quoque cernitur 1. Chron. 29, 9. Sed nihili est, quippe quae propriam teneat rursus Jehovae ipsius in gratia essentiam v. 14. 17. Et huic aetati Esrae resonant tempora Esr. 1, 6. 2, 68. Desiderium quod coeli quaerit in terra monimenta, desiderium quod divos prosequitur humanas per ambages tramites, hoc est, quod manus largientium repleverat. Idem sacrificia occupant, voluntaria deo quae cadunt. Esr. 3, 5. Quam profunda ea valeant populo intelligentia, agmina enarrant, quae sua sponte ad sacram Jehovae militiam se insinuabant (התנדב) Jud. 5, 2. 9. 2 Chron. 17, 16. Quem ad captanda Jehovae auguria concitavit religio, is modo semet ipsum tradit, modo cui animam substravit munus. Haec sunt quae voluntaria dicimus sacra. In deo habent fontem, terminum, pondus. Quod peculiari non data ansa supplex hominis amplectitur devotio.

Itaque quae nomine ac ritu distingui cognovimus *tria* salutarium sacrificiorum genera in *eadem* versantur religionis indole, variata quidem diverso, ex quo menti suscipitur, impulsu. In hanc ideo omnium omina exeunt, ut generali eius specie cuncta comprehendantur. Apparet ita in Mosaicis institutis distincte, ubi Num. 6, 14 Nasiraei aries peracto voto immolatus ad salutaria refertur sacra, et enumerantur hostiae Deut. 16, 2. 10 sqq. festis dierum solemnitatibus litandae. Unde haud exiguum momentum ad constituendam nominis שלמים notionem reportabimus.

Quum de religiosis supra commentaremur sacrificandi principiis, quae varia litationum genera constituerint, visum est nobis, ut *salutarium* sacrorum nativa vis in motibus scateret *gratiosa* ex

revelatione Jehovae susceptis. Benignitas sancti numinis perpetua in praecordiis istos concitat sensus, qui aut eam quam modo experti sunt beneficentiam praedicent, aut adorent quam semper experiuntur. Alterum voluntariis absolvitur victimis, prius, si devotione provocata laudant, votivis, sin liberali concessa misericordiae, laudativis. Quibus constitutis iam de nomine haud multum erit ambigendum. Namque ubi זבחים dicuntur salutaria sola sacrificia, appellatione reflectitur vis ad eam verbi זבח significationem, qua omnino mactare notat ad epulas instruendas*). In hoc enim *mactatu ad adornandas offerentium dapes patrato* propria rituum vertitur diversitas. Contra si שלמים audiunt, aperte ex primaria vocis forma Kal שלם progrediendum est, qua integrum, salvum esse significat. Unde LXX interpretes aut *σωτήριον* substituerunt aut *εἰρηνικὴ θυσία*, et Philon de vict. p. 650 B. *τὴν δὲ τοῦ σωτηρίου λεγομένην* solidis obiecit hostiis, et Josephus Antt. III. 9, 1. generalius basim *χαριστήριος θυσία* vertens expressit. Etenim *gratiae divinae* efficacitas in *humana* semper natura *pacis* corripitur et *salutis* tremore **). Gratia Jehovae quodlibet discrimen superatur. Integritatis gaudia ac perfectae cum deo consuetudinis adoriuntur pectora, quae coelorum beato fulgure contacta horrent aeternitatis mysteria.

Tamen haec explicatio hodie minime omnibus probatur, ut operae pretium sit, in ea paullo plenius immorari. Haud paucis placuit interpretibus in definienda nominis ratione potius ad verbi formam Piel redire, cui restituendi, rependendi, absolvendi notionem vindicant, ut שלמים sacrificia sint, quibus quod inter ipsum ac deum turbatum intercesserit reficiat homo, quibus debitum retribuat atque postulatum ab Jehova honorem, quibus amicam pii cum eo consuetudinem qua caruerunt sarciant, sartam tectam reservent. Sed haec opinio certe aeque falsa ac divulgata est***). Prognata videtur ex more, quo Hebraeis vota persolvere dicitur

*) Ita iam Outram p. 107.

**) Vides quam casta amoris prudentia fuerit, quae Nov. Testamenti testibus epistolarum in inscriptionibus illud *χάρις καὶ εἰρήνη* suggesserit. Gratia fulminis instar emicat obscuro divinitatis ex numine. Ictus quo praecordia percutit pacis salute excipitur.

***) Testes enumeravit Scholl l. l. V, I. p. 108 sqq.

שַׁלֵּם נדר Ps. 66, 13—15, atque ipsa gratiarum actio retributionis quasi necessitudine cingitur Ps. 116, 12. Lev. 22, 21. Quam ob rem his sacrificiis tradere volunt Jehovae hominem quae debeat, explere sua ex parte quae desint bonae pacis frugi. Hanc enim ex deletis oriri inimicitiis, ut שלום status sit bene compositus inter deum atque hominem. Mira re vera argumentatio. *Debitoris* scilicet crimine oppressus coelestia contra homo beneficia stat. Litata autem victima debitum solvitur. Quaevis molestia fugatur; laeta iam ac felix concordia. Quasi vero Israelitarum religioni quidquam exstiterit quod ex illa excipiamus debitione. Nihil igitur in salutaribus singulare nacti sumus sacrificiis. Talis autem restitutio deo ob beneficia ab homine facienda nonne plane adversatur Vet. Test. ingenio, cuius fortunatus augurio Jacob Gen. 32, 10 inferiorem se esse pronuntiat omnibus Jehovae opibus, et David 2 Sam. 7, 20 ipsis verbis parcere vult, quoniam Jehovah sciat quaecumque dicturus fuerit? Qui persuaserint sibi, ut terrea salis mica coelo satisfacerent? Subsistendum esset haud dubie in *gratiarum actione*, quam pro beneficiis deo rependant devotionis convicti. Et tamen ea non plenam huius sacrificii exhauriri naturam ipsi concedunt, quos impugnamus. Temĕre profecto pacis negligeremus vim [שלום], ubi tota rituum conformatio tam saepe eius memoriam protendit. Adversatur vero etiam illa restitutio praeceptis, quibus haec sacra conduntur. Nam voluntario liberalitatis in dono de debita solutione cogitari credat Judaeus Apella. Quaecumque debemus, ea non libero offerimus ex impulsu. Ideo aut voluntaria non pertinent ad salutaria sacrificia, aut horum verecundia alia est*). Prius quum claris legis edictis obstet, in altero insistamus. Verba certe Prov. 7, 14. זבחי שלמים עלי היום שלמתי נדרי nihil moramur. Namque licet in iis quod deinceps נדר, ab initio שלמים dicatur, tamen hoc ex sequenti שלמתי lucem non obtinebit, quippe quod congruat cum נדרי cum quo construitur, neque vero cum שלמים**). Accedit quod praeiudicata ista restitutio historiae occasionibus, qua-

*) Quod sentiens iam Venema Diss. sacr. T. II. p. 379. nominis rationem conflavit ex tribus notionibus, ut sacrificia sint simul εἰρηνικά, σωτήρια, εὐχαριστικά, ita quidem, ut prima significatio in נדבה, secunda in נדר, tertia in תודה locum obtineat.

**) Ita recte iam Gussetius Comm. ling. Hebraicae p. 1649.

les Jud. 20, 26. 21, 4. 2. Sam. 24, 25, parum commendatur. Porro ne forma quidem vocis ei apta. Quam si perpendimus, per se patet שֶׁלֶם non ad Piel respicere, sed ad Kal, cuius ex Infinitivo nascatur eadem ratione, qua אבן, גבר, מלך, זרע, חרם, לחם cognatis prodeunt ex stirpibus *). Quid in hoc ortu dubii venentur non intelligo. Formas contra ex Piel profectas constat potius קִטֵּר sonare, דִּבֵּר, נִפֵּץ **). Quid quod ipsa haec forma שִׁלֵּם Deut. 32, 35 nobis servata est? Quod in retribuendo suam *haec* nanciscitur vim? Et tam pellucida erat antiquitati, ut in proprium abiret filii Naftali nomen Gen. 46, 24, qui 1 Chron. 7, 13 consanguineo שַׁלּוּם insignitur, atque adeo genti appellationem שִׁלֵּמִי Num. 26, 49 muniret. Quo tandem iure simplicissimum שֶׁלֶם ad eandem retorqueamus notionem? Subsistamus ergo oportet in nativo formae Kal significatu. Inde vero quaenam voci שֶׁלֶם vis oritur? Ex Infinitivis quae formantur nomina hac ferme notionum haerent in serie, ut primum existendi, evadendi, efficiendi vices stabiliant, deinde affectus signent, tum status, denique quae permaneant qualitates ***). Quare ex קטל effingitur קֶטֶל caedes Obadj. v. 9, ex חלד חֶלֶד perennitas Ps. 39, 6, quibus ad generale plane vinculum verbi indoles adstringitur. Ad certiores conditiones vergit iam זֶבַח; et ubi personarum attingit forma proprietates, velut in מלך, עבד, ילד, עלם, ibi tota originis summa in hominem cumulatur, cui ampla nitet †). Hinc si ad nomen שֶׁלֶם descendimus, verbi שלם in eo *statum* figi deprehendemus, praesertim quum pluralis vulgo numerus in usu sit. Accedit quod saepius in sermone vestigia possumus persequi conformationis, qua qui in adiectivis eiusdem figurae atque שָׁלֵם concreti sunt status, nomina simul expromant figurae שֶׁלֶם. Exempla sunto tibi דָּשֵׁן Jes. 30, 23 et שָׁמֵן pinguis, דֶּשֶׁן Jud. 9, 9 et שֶׁמֶן pinguedo; חָדֵל cessans Ps. 39, 5, חֶדֶל otium, חָרֵב siccus Lev. 7, 10, חֹרֶב siccitas Deut. 28, 22, שָׁלֵו securus 1 Chron. 4, 40, שֶׁלֶו securitas Ps. 30, 7. Nostrum igitur

---

*) v. exempl. summam ap. Stier, Lehrgebäude der hebr. Sprache p. 184, adn. k.

**) De his cf. Ewald, Ausführl. Lehrbuch der hebr. Sprache (Lips. 1844.) §. 156 b. p. 299.

***) v. Stier. l. l. p. 446 sq.

†) v. Roediger in Gesen. gramm. p. 151, 11. Ewald l. *l.* §. 146. p. 280 sq.

est nativam indagare status indolem, qui voce שָׁלֵם signatur, ut abstracta eius specie ad notionem formae שֻׁלַּם perveniamus.

Illius ratio plana. שָׁלֵם incolumis est Gen. 33, 18, integer Deut. 25, 15, perfectus 2 Chron. 8, 16, in se absolutus Gen. 15, 16. Si cui cum alio integra est atque absoluta necessitudo, pacem cum eo et amicitiam fovet. Quare Gen. 34, 21. שְׁלֵמִים הֵם אִתָּנוּ sunt qui amice cum nobis vivunt, et שָׁלֵם עִם ה׳ Jehovae deditus 1 Reg. 8, 61. Et quum cuilibet Israelitarum virtuti regula valeat in ore divino imminens, merum שָׁלֵם religiosam notat deditionem, qua quis Jehovae se stiterit 2 Reg. 20, 3. 2 Chron. 15, 17. Transitus inde facile patet ad consanguineum שָׁלוֹם. Gussetius: *Compleri* inquit*) cum *pace* convenit, quia pax habetur, prout completae sunt res necessariae ad esse et ad bene esse. Integer vitae non eget Mauris iaculis nec arcu nec venenatis gravida sagittis pharetra**). Cui absoluta in se lucet conditio, alma is undique pace fruitur. — In his momentis omne verbi שלם lucrum propagari concedes. Ordimur notionis enodationem ex dicto, in quo distincte cunctum proditur. Quaerit Job 9, 8: Quis unquam ait deo se opposuit et *incolumis* mansit [וַיִּשְׁלָם]? Elifas eidem suadet 22, 21 sqq.: Adsuesce quaeso cum eo, fidem repone iusta eius in potestate, ut *pacatus*, ut *salvus* sis atque inde bonum adipiscare proventum. Suscipe legem eius ex ore, verba eius in animum demitte. Ubi redieris ad Optimum Maximum, felix aedificabere, iniquitatem removebis a tentorio tuo. — Nonne sentis, qualis haec sit incolumitas? Tota *vitae substantia* sana, dulcis, beata. Absoluti species iam extrinsecus quoque potest concipi, ita ut completa dicantur [ותשלם כל המלאכה] 1 Reg. 7, 51 opera quae Salomon in aede sacra perfecerit et Hierosolymorum moenia Neh. 6, 15. Quod si ad temporis decursum redigitur, plenum vox dispensavit, quo viret, succum. Tale illud vaticinium Jes. 60, 20: Sol tuus non occidet, nec luna obscurabitur tua. Nam Jehovah tibi perpetua lux et *consummati dies* luctus tui. Cuius qui candorem sese occupasse sibi persuaserunt, quum transactas iudicarent et praeteritas angorum horas, ii aperte errarunt. Etenim religioni

---

*) l. l. p. 1647.

**) Ingenue tolerabis nostra in disquisitione vafri Horatii lyram (Carm. I. 22. 1—4.) Nempe non inauditam refero rem.

non vanescunt aevi momenta. Quorum per fugam aeterna volvuntur semina, ut tunc demum radietur coeleste lumen, quando perfecta in se summum ad fastigium pervenerit seges, quando amara luctus pocula penitus exhausta potantes ipsa salutis laetitia inebriaverint. Haec diva istius consummatio. Hinc vix latius progrediendum erit, ut intelligamus pacem habere, colere, precari vicinas esse verbo notiones, quippe in quibus completa spectetur atque absoluta paciscentium natura. Itaque שָׁלוּם 2 Sam. 20, 19 pacificum significat, et שֹׁלְמִי Ps. 7, 5. idem quod אִישׁ שְׁלוֹמִי Ps. 41, 10. Non quasi vero ex שָׁלוֹם demum talia repetenda fuerint. Sed salva atque intemerata cum homine consuetudo homini pacis prae se fert et fructum et decus. — Non alia in Piel notionis scalam circumscribit ratio, nisi quod peculiare huius formae pondus adseritur. Namque שִׁלֵּם integrum constituere est 1 Reg. 9, 25, vel servare Job. 8, 6. Quod iam spirituali cum audacia ad restitutionem tollitur sumpti Ex. 21, 36, debiti Ps. 37, 21, voti Ps. 50, 14, sacrificandi Hos. 14, 3. Verum quum non semper eadem restitui queant, potius remuneratione alia cum aliis commutantur, velut divina ultio humana cum malitia Ps. 62, 13. Jer. 50, 29, beneficia cum ingratis sordibus Gen. 44, 4, interitus cum odio Deut. 32, 41, felicitas cum proba castimonia Prov. 13, 21. In his omnibus quae utrimque absoluta ac perfecta sunt ita sibi obiiciuntur, ut absolvant rursus ac perficiant in rebus ipsis quae sita discrimina. Quod clarissime videre est ex part. pass. מְשֻׁלָּם, quod perinde atque Arabum مُسْلِم hominem indicat integra atque perfecta religione deo dicatum, Jes. 42, 19, deditícium *). Copulatur enim non fortuito cum illo עֶבֶד ה׳. Consummata ea tantum servitus, cui nulla molestia, nulla obstinatione turbatur integritas.

At revertamur nunc ad propositum nobis שָׁלֵם. Cuius ut imas inter saxa scrutemur venas, notionis in verbo dilatatae complexum necesse erit prensemus, ut nomini figatur *integritas com-*

---

*) Herm. Muntinghe in Dissert. phil. crit. ad quaedam Vet. Test. loca. Groning. 1775. (Syllog. dissert. Lugd. II. p. 1179 sqq.) bene quidem sententiam vocis ex Ar. سلم IV coni. et Syr. Aph. verbi ܫܠܡ elicuit deditícii. Tamen neglexit exponere, qua de causa eius nomen potuerit omitti, cui servus se dediderit. Ea est, quoniam *plena* hominis deditio non valet, nisi deo facta.

pleta, *pacifica*, *beata*. Sacrorum interpretes unam solebant ex his virtutibus eximere, quam sacrificiis inculcarent inde nuncupatis. Hinc autem factum, ut veram eorum naturam non perspicerent. Vix enim quisquam eum laudabit, qui solis radios contrectat, acsi solis non gestarent ignem. Ita singula notionis ista momenta ad fontem quidem perducent, ex quo undarunt, neque vero per se riguam huius exhauriunt copiam. Iis igitur non adsentiemur, qui ad שלום respicientes aut *) pacem pro beneficio positam et his sacris celebratam voluere, aut **) de pace et prosperitate appellari victimas, ut quae semper de rebus prosperis fieri solerent, impetratis iam vel impetrandis, aut ***) animosius etiam, quoniam afferunt mundo pacem. Sed a scopo ii quoque aberrarunt, qui nomen sortita volunt †) sacrificia ex שלם, pace et felicitate usus est, vel quia ex hoc hostiarum genere deus, offerens, sacerdos suam quisque partem sortiretur, vel quia quasi symbola pacis essent et amicitiae inter deum, sacerdotes, offerentes, atque amicitiam inter eos obsignarent ††). Licet enim re vera inter hos tres dividerentur, ut merito R. Levi ben Gersom ad Lev. 3, 1. observavit [חדם והאמורים היו למזבח וחזה ושוק לכהנים והעור והבשר לבעלים], tamen hac partitione caerimonia nequaquam absolvitur. Propius ad verum accedunt, qui oblata haec sacrificia reputantes a pietate feliciter cum Jehova unita †††) *felicitatem* iis proponunt ††††), grata modo mente celebrandam, modo avida prece exoptandam. Temere autem praeiudicato duplici illo verecundiae modo lucidam extenuarunt sacrificandi ipsam religionem. Neque intelligitur,

---

*) Grotius ad Lev. 3, 1 cll. Serv. ad Georg. IV.

**) cf. Carpzov. App. crit. p. 706 B.

***) R. Sal. Jarchi ad Lev. 3, 1.

†) Sententia Carpzovii l. l. — Auctor libri Sifra: שהכל שלום בחן.

††) Venema Dissert sacr. L. II. p. 349. *Foederis* igitur signa etiam Sykesio sunt Versuch über die Natur der Opfer p. 64—69.

†††) Iam R. Levi ben Gersom: שהוא יבוא אחרי היות שלום בין האדם למקום Similia alii Rabbini.

††††) Outram de Sacrif. p. 107. Philonis auctoritatem huc ne advocaverim, etsi *σωτήριον* verterit, quum de vict. p. 651 D. pro *salute* corporis et animae sacrificia litari dicat. Plane alia videtur religio, quam Venema dicto notavit: Pax inquit omnem prosperitatem complectitur; bona enim petebat et mala deprecabatur.

cur singulari ritu pietatis affectus efferatur, qui certe in piaculis non minus urget. Quod probe Gussetius perspexit, qui: Interim inquit pacifici vox, qua utitur Vulgata, fallere possit; quispiam enim forte putet active sumi, quasi pacem faciat, cum contra pax supponatur facta propitiatorio, et postquam illud bello finem imposuit, venitur ad ista pacis sacrificia. Velim igitur nuncupare *pacalia* quibus pax cum deo fovetur *). Dummodo ita re vera segregentur varii illi ritus, neve in rebus divinis quaecumque fovemus fieri debeant. Tamen haud vile hinc quaestioni pondus fertur. Solent enim haec pacalia sacra, ubi cum aliis immolantur, post piacula demum ad altaria admoveri. Lev. 9, 15. 18. Num. 6, 16. 17. 7, 16. 17. Quod Schollio **) opinionem firmavit, qua stipulationis actuosae virtute imbuta continuare piacularem statuit devotionem. Veniam re vera assecuti sunt, quibus, postea quam hanc fuderunt, ad illa patet aditus. Facile largimur theologo argumentationem, qua 2 Sam. 24, 25 cum piatione pacalia cohaerere negavit sacrificia, si עולות ושלמים cll. 1 Sam. 15, 22. Ps. 40, 7 omnia victimarum genera complectuntur. Sed quum non semper cum piaculis mactentur, et ipsorum in ritibus, ubi datum homini donum lautae excipiunt dapes, comprehendant iam illius stipulationis documenta, latius augurium est extendendum. Eo cedit Chaldaica versio, quae sanctificationem addit, et Graecum istud τελετικόν, cui alterum Hebraeis nomen respondet מלא. Appellationis ansa ea quidem profecto non esset, quod puris solum viscera comedere licuisset. Sed illius recordamur sacramenti, quo in epistola ad Hebr. data 10, 1. 14. vox τελειοῦν gravida. Novi quid inde *felici pacis sensui* superstruitur, *perfectionis summa, candida integritas*. Cum Jehova pacem quis naturae infligat, quin immergatur in sanctam divinitatis scatebram? Laeta fulget ac candida in deo terrestris essentia. Praeclarum istud canticum Ps. 36, 8—11: Quam pretiosa est iustitia tua, o deus! Filii ho-

*) Error Baehrii: Symbolik des mos. Cultus. p. 386, quo pacem nasci jubet demum ex his sacrificiis, quovis caret argumento. — Eodem Steudelii recurrit decretum Theol. des A. T. p. 306. Integrum esse dixit, qui plane sit, qualis debeat. Hinc tali ritu sacrificare eius fuisse, cui amicae cum Jehova consuetudinis persuasio constiterit.

**) l. l. p. 112. 113.

minum in umbra alarum tuarum spem collocant. Irrigantur pinguedine aedis tuae, et torrentem deliciarum tuarum bibendum iis praebes. Nam apud te est *fons vitae*, in lumine tuo videbimus *lumen*. Protrahe beneficentiam tuam ad eos, qui te norunt, et iustitiam tuam ad eos, quibus animus est rectus. — In praecordiis urit desiderii scintilla, quod Jehovam quaerit. Exsplendescit beato in numine sancta lux, et scintilla evehitur in flammas, quarum incendio illa refulget. Illuminantur coelesti decore terrigenae, quisquis cum deo consuetudinem habet*). — Forsitan non fortuito Masorae vox אַשְׁלְמָתָא prophetas signat**). Praesaga felix quaevis hora, amoris praesagae deliciae.

Iam vero quaenam est species, qua varia haec notionis prodigia ad unum quasi corpus ligemus? *Integritas* perfecta, alma *pax*, dulce *gaudium* profundunt opes, quibus ligamentum componitur. Faustum eminet *salutis* ex mysterio, ex arcana *felicitatis* sorte. — Ita demum assequemur causam, qua vulgari usui pluralis ferme numerus שלמים fultus est. Legimus Lev. 7, 13. 15. venerationi oblata sterni על זבח תודת שלמיו et דם השלמים v. 14. ad unam pertinere hostiam, ipsa praecepti docet summa. Quid sibi vult hic usus? Possis quidem proxime opinari hac via èx multimodis salvorum personis abstrahi atque enucleari sublime salutis principium, ut שָׁלֵם ex שָׁלֵם definiatur, perinde atque חיים vitam, חבלים concordiam Zach. 11, 7. 14, סטים perfidiam Ps. 101, 3, זדים fastum Ps. 19, 14. significant***). Attamen opinioni repugnat non solum constans formarum varietas, sed ille quoque nexus, quo Am. 5, 22. singularis numerus munitur. Vero propius appellimur ratione moris habita, quo perpetuae hominum qualitates, fixi quidam status plurali multifariam expanduntur, velut עועים perversitas, רחמים misericordia, שכלים orbitas †). Inde שלמים nobis salvorum constitueret diuturnam conditionem. Et uti non raro virtutes ac vitia permanentem in successu ita corripiunt naturam ††), sic fortuna, istinc quae emanavit, facile

*) v. Fr. de Schlegel: Wiener Jahrb. 1819. p. 441.

**) v. Delitzsch, Jesurun p. 69.

***) v. Ewald l. l. §. 179 a. p. 344 sq.

†) Gesen. Gramm. §. 106. 2.

††) v. Stier l. l. §. 44, 7 a. p. 217. 441. 451.

eadem nota signari poterat. Prohibemur autem ab hac numeri explanatione eo, quod peculiaris vox שלום illam sibi conscivit. Ab ea שלמים distincte segregandum atque facile segregatur. Si tota rituum series, quibus in Aegypto cadavera perunguntur, חנטים appellatur Gen. 50, 3, vel Jes. 25, 6. lautissimum canitur epulum משתה שמנים משתה שמרים, si solatia angelo Zach. 1, 13. concipiuntur prolatis נחמים, variae ad unum quae tendunt finem species colliguntur huius ipsius in umbra. Quod hic clare cernitur, alibi ingenio curiosius investigandum est. Efraim audit Jer. 31, 20. ילד שעשועים. Abducuntur in captivitatem Mikh. 1, 16 בני תענגים. Nam quotiescumque parentes oculos figunt in prole, dulce percipiunt gaudium. Israelitarum filias Saul 2 Sam. 1, 24 purpura ornavit עם עדנים *). David Jehovam praedicans ait: ונחל עדניך תשקם Ps. 36, 9. Etenim non uno haustu suaves deliciae imbibuntur. Justorum tramites propheta Jes. 26, 7. מישרים dixit, quoniam vitae per vices profliguntur. Ipsum ita שלמים paene attigimus. Ubi salus floret, ibi omnes virium divitiae inflammantur, salus non est nisi compacta largo integritatis, perfectionis, pacis, laetitiae decore. Et si illius denique rationis recordamur, qua vehementia amoris invicem culti formis אהבים Hos. 8, 9. (Prov. 7, 18.) et דודים Cant. 1, 2. 4. indicatur **), vox שלמים simul salutis perducet non minus ad auctorem, quam ad hominis substantiam, illa quae beatur.

Quatuor ergo in plurali numero data sunt nobis momenta. Ut nanciscamur vexati tot quaestionibus שלמים vim, deprehendamus in eo necesse est fixa status prodigia, qui temporis per spatia se extendit, multimodam conditionis vicem in istum elatae ***), fluctuans illud inter fontem ac terminum pondus †); unitatem denique, qua omnia cohibita in propriam evehuntur ac spiritu refertam cogitati molem. Ideo Am. 5, 22 pro usitato alibi שלמים simplex שלם

---

*) cf. alia ap. Ewald. Gramm. der hebr. Spr. ed. III. §. 360.

**) Multa alia nomina, quae ad matrimonium spectant, recentiori Hebraeorum in sermone pluralia sunt, velut: ארוסין, קדשין, נשואין, alia, quae adn. Abr. Geiger, Lehrb. zur Spr. der Mischnah I. p. 49.

***) Ita פנים animam ligat vultibus variatis expressam; cf. Stier l. l. p. 217.

†) Quod clarissime elucet in illo praecepto Lev. 7, 15. 13, quod est על זבח תודת שלמיו. Nonne hic salus ad celebrandum relata deum?

proferri poterat, ut complexus singulorum, qui salutem gestant, radiorum hoc uno emicaret lucis in cumulo. Cui quod sacrificium dicatum, plenam sternit religionem. Quid est igitur, quod de voce iam nobis constat? Paucis dico amplam rem. שלם et שלמים eum figunt menti statum, in quo *humana religio integritatis nitore perfusa ac sensu perfecti* in se divinat atque in mundo vestigia. ut *pacis* inde natae perfruatur *gaudiis*. Vel ut verbo exhauriam omen, *beati divinitus satam* figunt atque *perspectam homini festivitatem*.

Auctae tali omine religionis monumenta sacrificiis ponuntur Israelitarum ad altaria admotis. Hinc factum est, ut idem religionis et sacrificii nomen esset. Holocausta antiquitatis ad normam, cui prima conduntur, ab externo ritu appellationem sortita snnt. Leviticorum sacrorum in ordine quae aggesta munera spirituali magis insigniuntur, in qua interna scatet victimarum natura. Etenim uti hostia conscientiae litata culpae onere oppressae אשם vocatur, et peccato obrutae חטאת, ita שלמים sacrificium est devotioni mactatum, quae penitus imbuta est salutis illa ac felicitatis specie, quam voci שלמים subesse cognovimus. Non temere ergo *salutarium* divi Tertulliani ex auctoritate nuncupatur, dummodo ne obliviscamur neque in arroganda versari salute eius essentiam, neque in retribuenda deo, quae accepta. Potius salutaria nobis dicantur sacrificia, quae religiosam hominis substantiam adumbrant salutis fluctibus rigatam. Supra iam ad lucidam advertimus animum Jehovae revelationem, cui illi fluctus exundent. Coelestis gratiae secum portant largas opes desiderio. Quae ad altaria conclamant, quaecumque tetigerunt praecordia *). — Quam ob rem si principia quaerimus, ex quibus salutaria suscipiantur sacra, nescio quid aptius enuntiarim, quam haec summe venerabilis Schuberti **) effata: der Leib des Menschen selber erscheint als ein wundervoller Verein aller Grundgestalten und Kräfte des sichtbaren Weltalls. Selbst in dieser so armen vergänglichen Natur ist er noch ein Abglanz und Ebenbild, ein in die Gestalt des Fleisches geschriebener Name dessen, von welchem alles Sein

*) Non multum aliena Klaiberi sententia, qui Stud. der evang. Geistl. Würtemb. VIII. vol. 2. p. 49. testari his sacris Israelitas iussit, pendere sese ex deo, quatenus ex ipso omnes beati ac salutis proveniant fontes.

**) Geschichte der Seele (Suttg. et Tub. 1830) p. 336.

und Wesen seinen Anfang genommen. Er gleicht einem reich und vielbesaiteten Instrument, in welchem alle Töne schlummern, welche in dem alten und ewig neuen Liede der Schöpfung gehört werden. Es gefällt dem Geiste des Lebens zuweilen, seine Stimme auf diesen bewegten Wassern zu vernehmen und sein Angesicht in ihnen zu spiegeln. Alsdann durchdringen ganze Völker und Zonen, so wie einzelne hochbegabte Naturen die Kräfte einer Begeisterung, welche überall, wohin sie trifft, neues Leben weckt. Wenn jedoch die Saiten dieser Aeolsharfe auch lauter ertönen, sobald der Fittig des Sturmwindes sie trifft, so wird doch selbst ihr leises Beben vernommen, so oft die Sonne zum Aufgang sich erhebt und vor ihr her ein Hauch des lebendigen Windes. Es war keine Menschennatur so arm und verödet, welche nicht etwa einmal in ihrem Leben dies Mittönen ihres ganzen Wesens mit den Klängen einer oberen und ewigen Harmonie empfunden hätte, sollte sie auch den Geist des Entzückens, der sie dann durchdrungen, aufs beschränkteste und niederste gedeutet und gemissbraucht haben. Keiner ist, welchem nicht dies Besuchtwerden von einem Aufgang aus der Höhe, in der armen Hütte des Leibes, auch wenn sie es noch nicht erfahren, noch zukünftig wäre, und in deren Kraft und Willen es nicht alsdann stünde, dem Fremdling einer höhern Ordnung eine Stätte in sich anzuweisen, zu welcher er gern und öfters wiederkehrte. — Israelitarum vita saepe eum excepit. Foederis auguria ad familiarem allexerunt divum numen consuetudinem. Et sacrificia exoptati celebrarunt introitum. Nonne re vera spectabilis vir ita viam monstravit ad intima horum sacrorum initia? Ubi gratiosa exsplendescit telluri Jehovae lux, caesa ibi victima humano pectori adornat conceptam. Beatae salutis germina laetius surgunt. Horret substantia faustum aeternitatis afflatum. Horrores cumulat in sanctis desiderii altaribus. Beans fulget pietati Israeliticae dei nutus, simul atque suam inde et originem repetere et fortunam aggreditur. Jehovae gratiae cadunt salutariorum hostiae.

Sed iam denuo ad ista discrimina repellimur, quibus tria eorum genera certis praeceptis distinguuntur. Quorum nativa perspeximus supra momenta. Quaeritur autem, ea qui ex gratiae principio procedant. Nihil magis quaestionem conturbavit, quam

praesumpta illa iudicio rituum distributio, qua gratibus impetrata, impetranda precibus celebrari beneficia autumarunt*). Justa enim Bæhr persuasione ductus est, ubi orationibus omnino sacrificali in cultu locum negavit, etsi vix justa ei argumenta supposuerit. Potius sigillatim cohiberi non poterant, quae cuilibet victimae substratae erant. Quis tandem est, nisi precum vigor, qui ad coelum scandit, si piaculi cruoribus venia petitur et peccatorum expiatio? Quam diu *desiderii* flammae sacris Jehovae ignibus nutriuntur, tam diu votivae pecudi qui subiicitur orationes solvit ac sursum levat culter. Et tamen ne Kurtz quidem dubitavit**) garrire de *precationis* sacrificio, quod litatum sit, *posteaquam* concessa ab Jehova, quae pietas rogaverit. Quasi vero tunc precationis ullum fuisset sacramentum. Tales ambages debebant ad sanam interpretes revocare mentem, ne vividam rei sacrae quae Mosi floruit catenam ad aliena retorqueant artis studia. Sed in errore se ipsi convincunt. Sacrificia aiunt על תודה data gratiarum actioni destinata sunt, נדר et נדבה duas precum species muniunt. Sed quales? Nodum facillime Scholl dissecuit. Discrimen enim negavit inter illas exstitisse, atque omnino non dirimi, nisi eorum commodo, quos liberalitas ad altaria propelleret. Mira sane legum latoris industria, quae praecepta sanxit vitae sine regula atque arctis dispensavit ligamentis cinctum caerimoniae ordinem sine usu. Felicior vix Outram fuit***), qui sacra voluntaria ab iis saepe facta esse statueret, quibus nulla pericula imminebant. Votiva autem (sive holocausta, sive sacrificia salutaria) illos praecipue nuncupasse, qui in periculis versabantur (Jud. 11, 30. 31. Jon. 2, 10. 2 Sam. 15, 7—8 cll. Ps. 10, 13. 14. 56, 12. 13.). Nam uti solida iam quae hic immiscentur sacrificia totam ratiocinationem aliorsum vertunt, ita cur hoc discrimen oppositis sibi נדר et נדבה expressum sit non liquet. — Mittamus ergo precationis rationem. Multum profecerunt, qui salutaria sacrificia solis gratibus adegerunt, ut preces ubi instent non sint nisi gratiae antea perceptae Ps. 56, 13. 14. 54, 8. Laudativis docent genus figi, cuius votiva ac voluntaria

*) Bauer: Gottesd. Verf. I. p. 276. Kurtz: Das mos. Opfer p. 134. Tholuck: Das alte Testament im neuen; ed. II. p. 74. Scholl l. l. p. 116.

**) l. l. 137.

***) de sacrif. p. 110.

singulas constituant species. Ps. 56, 13. 50, 14. 116, 17. 18. Gratiis niti generalem formam, quae in rebus angustis atque adversis vota protrudat et voluntaria exigat sine tali necessitate. Sed triplex caerimoniae indoles Lev. 7, 12 sqq. clarius notata est, quam quae merito nobis negligatur, et praefixum legi v. 16. ואם, quod priori אם v. 12. respondet, non suppositas intendit generi species, sed aequales sibi unius corporis partes. Aeque falso Rabbini *) in delendo praecepti discrimine operantur, qui et נדר et נדבה ad vota transtulerunt. Nam distinxit quidem ea Maimonides, ut si quis עלי dicat, sancte in me recipio, נדר voveat, sin autem זו, hoc deo sacrum est, נדבה. Et Is. Abarbanel sacrificium votivum vult esse sacrum generatim nuncupatum, voluntarium, quum quis certum quoddam sese immolaturum esse polliceatur animal. Quae quavis carent Leviticis in institutis ansa et ipsis vocum sententiis refutantur. Ignorantiam igitur ne fixa quidem traditionis norma vicerunt. — Simplicior nobis trium specierum evolutio ex felici eruitur salutis sensu. Vices enim terrestres ipsam attingunt divini numinis gratiam. Modo cernitur atque largo proventu per hominis vitam disseminatur, modo angustis atque caducis velatur telluris velis. Hinc duo nascuntur quibus percipitur initia. Namque largitur nunc Jehovah auxilium et beneficia inopi terrarum genti. Miseria oppressa ac calamitate vocem exaudivit coelestem: Invoca me in die angustiae, liberabo te, et me coles Ps. 50, 14. Et beata clamat: Deliciarum torrentem bibendum hominum praebes filiis Ps. 36, 9. Ubi religio his auguriis gravida evehitur ad felicitatis fontem, ibi in altaribus sternit professionem, celebrationem, grates, laudes, mactat זבח תודת שלמיו. Quod Philon iam perspexit. Ait de vict. p. 651 sqq.: *τῆς δὲ σωτηρίου θυσίας ἐν εἴδει περιλαμβάνεται ἡ λεγομένη τῆς αἰνέσεως, ἥ τις λόγον ἔχει τοιόνδε· οὐδενὶ τὸ παράπαν ἀβουλήτῳ περιπεσὼν, μήτε κατὰ σῶμα, μήτε κατὰ ἐκτὸς, ἀλλ' ἀπολέμῳ καὶ εἰρηναίῳ βίῳ χρώμενος, ἐν εὐπαθείᾳ τε καὶ εὐτυχίαις ἐξεταζόμενος, ἀπήμων καὶ ἄπταιστος ὢν, καὶ τὸ μακρὸν τοῦ βίου πέλαγος εὐθύνων, ἐν εὐδίᾳ καὶ γαλήνῃ πραγμάτων, ἐπιπνεούσης κατ' οἰάκων εὐπραγίας, ἀναγκαίως ὀφείλει τὸν κυβερνήτην θεὸν, καὶ ἄνοσον μὲν σωτηρίαν, ἀζημίους δὲ ὠφελείας, καὶ συνόλως*

---

*) v. Outram. p. 109.

ἀμιγῆ κακῶν τὰ ἀγαθὰ δωρούμενον, ὕμνοις καὶ εὐδαιμονισμοῖς, θυσίαις τε καὶ ταῖς ἄλλαις εὐχαριστίαις εὐαγῶς ἀμείβεσθαι· ἃ δὴ πάντ᾽ ἀθρόα συλλήβδην ὄνομα τὸ αἰνήσεως ἔλαχε. Hic igitur laudationis pariter momenta latius iam extenduntur, ut apta sit innumeris beneficentiae modis, quam gratiosum Jehovae numen per terram spargit. — Sed non semper tam clare sparsa mentibus concipitur. Temporum ruunt fugaces horae, turbidam aevi secum volvunt curam, nullo coelitus fulmine videtur concussa vitae instantia. Tamen desiderium viget in praecordiis gratiosae dei revelationis. Audaci cum violentia eam oppugnant pio voto. Audit vocem devotionis Jehovah, quum invocatur, miseretur Ps. 27, 7. Denuo salutis flammant decora, et votum solvens [נדר] fundit verecundia huius motum. Aliis non lucent diva gaudia. Stellae undique obscurantur. Tamen per noctem clandestinae strepunt voces. Lene in iis halat suspirium. Quo perculsa fatetur supplicatio: Quamvis irem umbrosa mortis in valle, mali nihil timerem, quia tu mecum es, virgaque tua et baculum sunt, quae me consolabuntur. Ps. 23, 4. Si absumpta est caro mea et cor meum, deus, tu rupes es animi mei et portio mea in perpetuum. Ps. 73, 26. Felicem hanc integritatem! Jehovam colit ardentissimo cum studio, et eius gratia suffusa in altaribus cumulat munera, quorum liberalis copia [נדבה] honoret aeternam. Ergo tria haec sacrificiorum genera ex eodem salutis conceptu [שלמים] prognata ad eundem pertinent celebrandum, ut hoc halitu rursus vitalis inter ea sustentetur compago. Simul autem distincta sunt, quum concessa primum divinitus amplectatur beneficia, ex non concessis reliqua eandem sublegant beneficentiam, et diverso quidem modo, quandoquidem religio aut ipsa coelesti misericordiae vias signat, aut quovis in fato divinam divinat gubernationem. Est quiddam in votis quoque voluntarium Deut. 23, 24, tamen Num. 15, 3 לפלא נדר 'ד et בנדבה *) curiose segregantur; cf. Lev. 22, 24. Nam in sacrificiis non spectantur nisi votivae pecudes, quibus quod susceptum erat iam solvatur votum **). Apparet autem hinc, cur

---

*) v. Hengstenberg, Comm. über die Psalmen, ad Ps. 54, 8. Vol. III. p. 54.

**) Victimae quae peracto votorum tempore a piis caeduntur, (velut Nasiraeorum arietes Num. 6, 13 sqq.) huc non spectant.

votiva ac voluntaria tam acriter opponantur laudativis, ut rituum inter ea haud vilis sit discrepantia. Jehovae beneficia si firma cum *necessitudine* compellunt piam ad altaria venerationem, ut delinquat quisquis sacrificia neglexit, vulgaris vitae facies, licet eadem fulta beneficentia, tamen hebeti terrenorum oculo ex *liberali* refulget pietatis motu ac largitione. Sed qui sancti vitaeque integri, quoniam Jehovah sanctus ipsorum deus, ii quidquid in terra floret, quidquid languore conteritur, sancto illius repetunt ex numine, ut Israelitarum victus una pendeat dei ex gratia *).

Hoc ipsum disputationem traducit ad alium quendam errorem, quo plerique interpretes salutarium sibi sacrorum obstruxerunt naturam. Namque inde quod hic quoque piationis illud velum valet, quod sparso hostiarum sanguine humanae protenditur naturae [Lev. 7, 14. 33.], redintegravit nuper Kurtz **) doctrinam, qua peccatorum moles etiam salutariis infligatur. Iam vero singula peccata iis non expiari facile per se patebat. Ideo fingendum erat regni divini civibus, qualescunque adversus deum versati essent, peccatricem universam fuisse lustrandam indolem, cuius ex conscientia prodierit stimulus susceptorum ab Jehova, quae vel instant, vel aliquando instabunt, gratiae donorum. Grati esse animi sacrificia signa, cui maligna turba impressa sit diva beneficii ope uberius exaggerata. Beneficium enim ipsum hominem prohibere ab foederis cum deo pacti fructu, neque superari impedimenta nisi restituta sacrificando concordia, cuius epulae exstent certum pignus atque religatum ab aeternitate. — Nos non ii sumus, qui peccatorum tormenta alicubi Israelitarum ex habitu removeamus. Hostiarum sane in cruore horum stillant limpida simulacra. Tamen numquam religionis Israeliticae castimoniae solatium praebetur atque piationis auxilium sua debitorum solutione. Sed haec redundant gratiosa Jehovae rursus ex misericordia ac clementia. Si quid ergo hic expiatur, illa inest in confessione, qua Jacob Gen. 32, 10 inferiorem se affirmat omni Jehovae bonitate et gra-

*) Ceterum qui conferatur hic idoneus Porphyrius, de abstin. II, 25, ubi ait: *τριῶν ἕνεκα θυτέον τοῖς θεοῖς· ἢ γὰρ διὰ τιμὴν, ἢ διὰ χάριν, ἢ διὰ χρείαν τῶν ἀγαθῶν.*

**) l. l. p. 130 sqq.

tia. Obscuro ductu protracta quaevis quidem litatio plena terrarum peste notatur. Sed quae *saluti* cadit hostia, superatam testatur *religioni* hanc *perniciem*. Si 1 Reg. 8, 33 qui peccarint dicuntur revertere ad sanctitatem atque nominis enarrare divini gloriam, quis est qui Baehrio inde largiatur זבח תודה non esse nisi delictorum professionem, in qua vera Jehovae nitatur adoratio? Qui gratiam celebrant coelestem, non arduum horrent cui perdantur nutum, sed benignum, in quo beati rident divitiae. Nihilo minus ei adversum ut vigeant, velo egent, cuius specie ornentur, ornati iustam canant laudem. Naturae humanae divus superinsternitur nitor, ut ineffabilem introspiciat, quam praedicatura est, rite gloriam. Hoc arcanum piationis auspicium, quod salutari quoque fulget caerimoniae. Ex grandi Jehovae gratia prognatum homini obvenit salutis felici in sensu. Utramque quae complectuntur sacrificia clandestinum eius lucrum evehunt sanctiora integritatis ad iura.

Nunc ad singula pergamus.

Materies qua salutaria dona conficiuntur ex hostiis composita et fertis, quibus peculiari ritu panis fermentatus accedit Lev. 7, 13 [על חלת לחם חמץ יקריב קרבנו.]. Hostiarum species lege non definiuntur. Quare omnes caerimoniae adaptari dixeris, licet nusquam in historiae decursu columbarum fiat mentio, rituum natura quae removeri videntur, ut epulis non congruae, et peculiari avium in cultu omine et Rabbinorum ex decretis*) clare removentur. Voluntariis adeo sacratae contra omnem religionis morem non plane necessario ab omnibus maculis liberum cadit animal, quum offerri fas habeatur, qualia שרוע et קלוט nuncupantur, membro iusto longiore impedita et pumiliones**). Cuius licentiae causam minime quaesiveris in exili sacrificii momento. Nam talia discrimina non valent, nisi ubi honoris gradus constituuntur. Jehovae autem leges nihil unquam foedi sinunt. Non melius eo respiciamus, quod offerentis in usum redit victima***). Hoc enim salutariorum omnino est. Neque homini probe ritu quae dantur *sibi*

*) Hottinger, Jur. Hebr. Leg. p. 187.

**) Vox שרוע Lev. 21, 18. 22, 23 satis illustratur Syrorum ܣܪܘܚܐ ܐܕܢܐ auritus. Dubium קלוט contractum significare probabile cll. قلص v. Schultens. Opp. min. p. 273.

***) Baehr, Symbol. p. 376.

oblata, sed *deo*, qui turpi quavis labe alienus. Jehovah demum oblata retribuere censeatur oportet offerentibus. Causam nos potius in ipsa natura deprehendimus. Talia pii arbitrii impulsu si dona caeduntur, quid possunt testari nisi intimas animorum conditiones Jehovae deditas? Eas testaturi, quantum poterint, re vera optima tradent deo. Qui quum muneris non per se, sed animae potius mactantis animo suffusae ac sacrificatae rationem habeat, in victimae nidore haurit gratas sibi ingenii conditiones. Misericordi enim gratia dives hominum infelices etiam pollet excipere benevole res. — Consimili omine fulcitur laxamentum legi holocaustorum datum, si muliebria quoque animalia in salutariis litantur. Baehr*) temere illud cernit in pretio, quo minora haec sint sacrificia solidis. Talia discrimina repeto nullo iure legibus Mosaicis intrudi, quae omnia sacra eodem castimoniae momento cumulant. Potius propriae illud indoli concessum. Fortes audaciae atque generales solidorum religiones virili hostia pingi videmus, qua deo se sistit homo, ut divina quadam luce collustrentur arcanis Jehovae viis inserenda. Sensibus autem gratiae Jehovae incussis deest arcanum istud dubium divinaeque gloriae nitor. Namque qui dei se gratia longe inferiorem sensit Gen. 32, 10, idem *suas* religiones picturus non *eget* divina specie neque eam valde premit. Humana quaevis imbecillitas isti adversum stat, cui adornandae etiam muliebris victima sufficit, praesertim quum *gratiosi receptus* gestare videatur haud obscurum vestigium et ipsa.

Rituum conformatio cum solidis consentit, ut sparso quoque sanguine immolantis eadem via deo fundatur anima. Diversitas emanat ex actu ad ipsa altaria pertinenti. Etenim non totum victimae corpus crematur, sed eae tantum ut comburantur ad altaria moventur partes, quas *ablegminum* nomine**) hodie solent celebrare sacrorum interpretes. Haec sunt:

1) החלב המכסה את הקרב***), adeps intestina tegens.

---

*) l. l. p. 378.

**) cf. Paul. Diacon. p. 27, 7.

***) Rabbinorum ex sententia probe distinguendum est inter חלב et שומן. Ait Bekhai in Leg. fol. 113, 1. 2.: שהשומן הנפרד והנקלף מן הבשר נקרא חלב ושאינו נפרד ומתערב בבשר נקרא שומן. Prius tantum a mensis prohibetur.

2) כל החלב אשר על הקרב, omnis adeps, qui est super intestinis.
3) שתי הכליות, duo renes.
4) החלב אשר עליהן אשר על הכסלים, adeps qui est super illis super hypochondriis *).
5) היתרת על הכבד, septum, quod est super iecore, fibrae. Quibus, nonnulla ovium genera si mactantur, accedit
6) אליה cauda pinguis, et ita quidem, ut תמימה sit, integra, tota e regione spinae dorsi de tergore abscissa **).

In omnibus quae sternitur Jehovae *pinguedo* est. Iudaeorum consuetudini appellatione חלב vel חלבים comprehenduntur, et alterum eorum nomen אימורים (Maimon. Maase Korb. Cap. I, 18.) huius lucrum ex mandato divino videtur repetere. In adipe carnis florem cognoscimus, in quo pulveris substantia lucidiorem sibi vindicat vultum. Belluae pretiosissimum praebet decus. Quare uti uberrimos campi fructus Isaak filio ex pinguedine terrae colligit Gen. 27, 28, ita parcae pastorum simplicitati adeps pro auri lauta fruge est***). Victimae si distribuitur haec pars dei est, et illi quidem eius numini, quo rerum universitatem moderans non aspernatur flebile hominis suspirium †).

Carnes non combustae dapibus struuntur duplici ratione, quum pectus (חזה) dissectum ex tergore atque dexter armus

---

*) De voce כסלים cf. Cocceius, Lexic. p. 385.

**) Singulari dissertatione ablegmina haec sacrificiorum deo in altari offerri solita tractavit Iken, Diss. phil. theol. II. p. 139 sqq.

***) v. Rückert, Hamâsa I p. 33 sq.

†) Philon de vict. p. 650 sq. singulis singulas subiecit causas oblationis: Adeps, ὅτι καὶ πιότατον καὶ τῶν σπλάγχνων φυλακτήριον; renes propter nervos tendentes genitalia, qui genituram adiuvant; fibra iecinoris, praestantissimi visceris delibatio, cuius opera cibus in sanguinem vertitur et ad cor transmittitur, unde derivatur in corporis totius venas sinuosis flexibus alimentum suggerens. Accedit quod iecinoris natura sublimis et levigata refert instar politissimi speculi propter nitorem, ut mens, quoties a diurnis curis cessat, in somnum soluto corpore, nullis turbata sensibus se ipsam suosque intellectus in secessu pure dispiciat intuendo iecur tanquam speculum, et in eo sincere contemplata res circumspiciat sibi obversantes imagines, quo turpes fugiat, contrarias eligat, et ex imaginationum consideratione ceu vates coniecturam de futuro faciat. Poterunt haec cauto iudici quandam frugem praebere.

(שוק הימין) sacerdotibus tribuantur advocatis familiis mundo in loco comedenda Lev. 10, 14. Quae restant, offerentium mensas adornant.

Peculiari illa caerimonia insigniuntur. Nam sacerdos allata sibi habet agitanda ac tollenda [הניף et הרים]. Ritus naturam in praeceptis Mosaicis non curate docemur, ut non liceat nisi Iudaeorum ex traditionibus eam illuminare. Neque istae quidem satis firmae. Imponi secta offerentium manibus consentiunt et his subiici sacerdotis manum. Iam vero alii actum adumbrant ita, ut prorsum et retrorsum, sursum et deorsum moveantur, qui מוליך ומביא מְעלה ומוריד sacerdotem dicant, alii motum תנופה ad quatuor mundi plagas vertunt*). Quam ob rem qualis re vera fuerit definiri certius nequit. Sed quum ipsi illi, qui motui duos statuunt terminos perinde atque sublationi, respectum habeant mundi plagarum, religio haud dubie talis erat, qua caerimoniae qualiscumque fuit vis in universum dilatatur. Sic R. Bekhai ait: מוליך ומביא למי שארבע רוחות העולם שלו מעלה ומוריד למי שהשמים וארץ שלו.

Ritus forma cohaeret cum sectorum natura, quibus perpetratur. *Pectus* igitur et *dexter armus* quid sacerdotibus? Vix multi erunt, quibus nihil cum Clerico sit quod respondeant, nisi perinde quidem fuisse, si res in se spectetur, sed quum aliqua pars cedere deberet sacerdoti, haec pro libitu, quae non sint spernenda, a legis latore esse definita. Huius enim arbitratus usquequaque divina tenetur atque humana necessitate. Celerius ni fallor iudicarunt, qui inde quod Ez. 24, 4 latus et humerus (ירך וכתף) ad bona frusta (כל נתח טוב) referuntur, quod Saulo 1 Sam. 9, 24 proponitur honorando armus (השוק), quod hodieque Arabibus in deliciis est**), dulcissima sacrorum antistiti cupedia tradi opinantur***). Neglexerunt enim neque dextram sinistra dulciorem esse clunem, et vario ritu distingui tradita, cui in cupediorum exquisito stimulo ansa nulla. Itaque in nativa

*) Quatuor ideo motus agitationi vindicavit Witsius, Misc. p. 502, duos Reland, Antt. sacr. III, 1, 17.

**) v. Rosenmüller, Morgenl. III. p. 84.

***) Baehr l. l. p. 372. Sacerdotali sane populo terrae opimae fruges. Jes. 25, 6.

membrorum indole causa quaerenda est. Et haec satis aperta. Humerum constat oneribus gestandis supponi, gravi imperii purpurae (Jes. 22, 22), forti potentiae sceptro *). Quae si ad unum rediguntur cardinem, in humero deprehendemus vigoris primariam ac roboris animalis sedem **). Ex hac persuasione fabula orta, qua sacris Persarum antiquitatibus Goschurun belluarum princeps caput ex prisci tauri humero emergit. Apud Hebraeos certe sexus praeterea videtur quodam habitu muniri, quum שוק cum תשוקה cohaerens concupiscendi durum attingat ardorem. Animale ergo robur armo concipitur. Si dexter seligitur, honoris umbra signatur, in quo uberiores scateant vires (cf. 1 Sam. 11, 2). Certius etiam pectoris augurium. Ex eo enim larga vitae emanant flumina, alimentorum praebet thesauros. Hinc patet, quid sacerdotale istis in membris fuerit.

Humanae perfectionis gestant sacerdotes insigne. Cui respondet oblatio, in qua bestiae plena refulget ac perfecta substantia. Divini gestant sacramenti decus, quod coelesti virtutum lumine illa quoque affectat. Et iam legis ipsius verba audiamus. Renuntiat Jehovah Lev. 7, 34: Pectus inquit agitationis et armum elationis cepi ab Israelitis ex salutaribus eorum sacris eaque dedi Aharoni sacerdoti eiusque filiis. Deo hostiae viscera, simulatque ad tugurii fores adducta est. Sed haec membra ut ministrorum fiant sacrificii, peculiari sibi modo arrogat divina maiestas ***). Qui agitationis ritu et elationis absolvitur. Prior lege pectori constituitur, armo altera. Vides quam apte constituatur. Alimentorum fons *porricitur* in essentiae divinae mare, quod fertur per terrarum orbem. Infusi enim humo divinitatis flatus quidquid viget in tellure nutriunt ac sustentant. Ideo agrorum primitiae eadem caerimonia sacrantur. Contra roboris

---

*) Sesostris certe statuae in humero inscriptum erat: *Ἐγὼ τὴν δε χώρην ὤμοισι τοῖσι ἐμοῖσι ἐκτησάμην.* Herod. II, 106.

**) Versamur in eodem fundamento, ex quo Philonis (de praem. sacerd. p. 832.) iudicium susceptum: *βραχίονα μὲν ἀπὸ χειρὸς δεξιᾶς τὸ μὲν ἰσχύος καὶ ἀνδρίας καὶ πάσης νομίμου πράξεως ἔν τε τῷ διδόναι καὶ λαμβάνειν καὶ ἐνεργεῖν σύμβολον.*

***) Unde patet, temere fictum esse a Kurtzio. l. l. p. 148, quod his partibus factum, valere universae carni.

signa ad coelos *protenduntur*, unde divinae potestatis quaevis radiantur auspicia. Sed neutrum plane eo *deditum*, ut ritu ipso proclametur tradi deo in actu, quo perpetrato ministris tradita sunt. Ut sacerdotibus cedant sacrata, hac consecrationis caerimonia ad Jehovae ipsius iura evehuntur, quibus collustrata iam sacerdotalia niteant et ipsa. Eadem Levitarum conditio, ubi hac caerimonia ministerio adiguntur Num. 8, 10 sqq. Dona ita quae moventur qui movet eius esse testatur, ex quo omnia sunt, per quem sunt, ad quem sunt. Si in altum elevantur, ei sanciri, cui telluris spatia non sufficiunt, qui super ea elatus in coelis gubernat fata Jes. 66, 1. Haec arcana divinitatis via: qui locum inhabitat sublimem et sanctum, idem adest afflictis et humilibus Jes. 57, 15. *Jehovae* gratia fertur per rerum ampla spatia Ps. 36, 6—10. Ideo si תנופה eam contrectat dei revelationem, quae Hebraeis nomine יהוה adoratur, תרומה tendit ad obscuros horrores, qui in appellatione אלהים conferuntur. Ubi iunguntur, nomen iudicii, ut cum Rabbinis loquar*), cum nomine gratiae unitum apparet. Veri igitur est aliquid in decreto, quo Vitringa**) caerimonia crucis formam adumbrari statuit, ex qua dei pendebat agnus. Namque horrenda maledictione trabs brachia dispandit, quibus mundum perpetuo amplexabatur divinus amor et sublata ad astra terrestrem proiecit noctem per aethera. Aeternae crucis hac gloria suffusi ritus altitudinem praedicant et latitudinem divini amoris, Eph. 3, 18. Haec vaticina eorum indoles, qua sacerdotalem populum coronant. Dei in benignitate ac gratia aperta futurorum praesensio. Non praesens modo usquequaque eius numen***), sed beans almo sacramento arrogatur sanctis, et motis sublatisque muneribus sacrificii ministro huius beneficia sibi cumulat immolantium pietas. Neque sacrificii solum specie membra ornat †), neque in conspectu Jehovae deponi ††) agitata iubet caerimonia, sed coelesti halitu beata sternit populo coelesti decore insignito.

---

*) v. Sohar ed. Amstel. T. III. fol. 65 a, l. 14. Sommer, Theol. Sohar. p. 63 sqq.

**) Obs. sacr. II, cap. 15. p. 251.

***) Sykes l. l. p. 53. Bauer, die gottesd. Verf. der Hebr. I. p. 139.

†) Vitringa, Obs. II. p. 38.

††) Cocceius (Lex. p. 483.) hanc notionem sine argumentis adscivit.

Sternuntur autem ad instaurandas epulas, quibus familiae advocantur, ut sanguinis communione datorum auspicia sanctorum per genera traducantur. Locus ubi accumbant non statuitur inter ipsa sacrarii limina, sed omini satisfecit spatium a profanis sordibus vacuum atque nudum. Nam coena non ad ipsum altaris ministerium pertinet, sed eius sacramenta per vitam dissipat. Quare in sacrificiis festam Pentecosten obeuntibus aliisve publicis immolationibus, quae salutariorum ritu fiunt, carnem sacerdotum esse universam lege Lev. 23, 20 videtur sanciri, atque aptum est indoli, qua divinam populi substantiam sacerdotes comprehendunt. In privatis contra viscera exemptis pectore et armo iis redduntur, qui hostiam adduxerant. Ad laetas assumebant atque splendidas quas inde confecerunt dapes convivas Levitica munditie lautos ex cognatorum grege ac servis Deut. 27, 7. Vulgarium illae coenarum ex ordine ipsis praeceptis evehuntur, quippe quibus religiosum nanciscantur habitum. Munda cui accubant mensa, mundi qui accubant et ipsi. Jehovae enim hostia erat tradita, Jehovae carnes et panes sunt, quibus mensam habent exstructam. Cui si quis propinquare vult, puris manibus esto, quocumque coelo vota lubet efferre, locus fac idoneus sit casto nitore, ne foedi quid obveniat coelesti sanctioni. Nam contaminata ullo modo comedere nefas. Vulgo haud procul a tugurii foribus dapes Deut. 12, 17, cuius vicinia epulantes affectabant eam consecrationem, quam omni vitae desiderio tenebant proiectam. Singulari plane statuto accuratius coercentur. Namque eodem die debebant fieri, quo victima caesa, atque ea quidem amplitudine, ut per binos dies singularum carnes penitus absumerentur. Votivae certe et voluntariae pecudis residua ad posterum mane reservari licebat. Laudativae eximia sanctitatis specie distinguitur ratio, quoniam propria Jehovae pendet ex lege eas adversum, quae libera hominis ex voluntate profectae*), et sanctionis legis duram ita acerbius inculcat catenam.

Michaelis, Suppl. p. 1615. cll. Syr. ܢܘܦ incurvatus est et ܐܬܬܢܝܦ depositionem rei sacrae ante Jehovam atque altare voluit esse תנופה. Cui aures immerito praebuit Jahn. Arch. III. p. 389.

*) Hoc discrimen deletur, si consilium statuitur, quod Philon statuit de vict. p. 652 a: *ἵνα οἱ ἐπιτυγχάνοντες ἑτοίμων καὶ προχείρων εὐεργεσιῶν, ἑτοίμην*

Hac enim indole istud et gravissimum sistitur et generale sacrificium. Unde factum, ut carnes quoque statim primo die consumendae sint. Quid est enim, quod festinatio sibi praeceps in hac coena vult? Tanto opere lege premitur, ut quae aut altero aut tertio die residua ignibus perdenda sint, neque vero sacris altarium Lev. 7, 16. 17. Combustorum Rabbini causam geminam inferunt, quum 1) ob sacrificii magnificentiam [הגדלת דבר הקרבן] abolenda fuerit caro, ne tetro odore esset molesta, atque ignibus quidem, quippe quibus consumptio consummata fieret et plenior quam dispersione et dissipatione, et 2) ut inculcetur fiducia in deum, ne videlicet homo nimium angatur cibo suo, ultra quam satis est reponendo in diem crastinum, quum videat deum praecepisse, ut caro sancta, postquam hora eius transiit, aboleatur, neque voluisse, ut quicquam emolumenti ex ea ad ullam redeat creaturam, neque hominem neque bestiam*). Sacrificale nihil inesse hoc in incendio sane inde apparet, quod omnia sacrificia profanata aut foetore corrupta eadem lege abolentur, Lev. 7, 19. Nimirum quae eo quaeritur plena residuorum destructio est. Cuius cardo religiosus elucet, ni fallor, ex contrario praecepto, quo Paschales agni Ex. 12, 3. 6 decimo iam mensis Abib die selecti et separati decimo demum quarto sacrae caerimoniae adiguntur. Cui si triduo isto initiantur, ritu sacrae carnes hostiarum, ne ritus perdant initia vulgaris usus tactu, perdendae sunt ipsae. Sed longius etiam promovemur epularum natura.

Uti appellatione, sicubi dicendi forma זבח זבח [1 Sam. 2, 15—17] sola salutaria sacrificia insigniuntur, ad epularum**)

καὶ ἀνυπέρθετον ποιῶνται τὴν μετάδοσιν. Nam duobus votorum diebus plane alias ansas tribuit, quum sacrae mensae usus deberet tempestivus esse, neque in penum retrudendae victimae, sed indigentibus proponendae, ne dissimularetur domini liberalitas sordida parsimonia, quum denique pro salute corporis et animae oblatae essent. Quae cum illis si comparantur, nexu quovis videntur carere.

*) Ita Hottinger l. l. p. 190. Suis decretis accuratius modum definiunt Rabbini ib. p. 191 sqq.

**) De mactatu animalium ad lautiora convivia habes formulam Deut. 12, 21. Ez. 16, 20. Prov. 17, 1. Jes. 34, 6. Jer. 46, 10. — Inde antiquitus iam discrimen quoddam muniri inter sacrificia recte vidit Iken, Diss. II. p. 11.

rationes appulsi sumus tanquam ad proprium caerimoniae cardinem, ita ritus universi in eas exeunt. Ad nullum sacrificiorum genus tanta fertorum copia tamque varie cocta et pista adstruitur, ut adeo farina fermento mixta panibus addatur. Laudativis enim placentae propriae sunt, compositae ex farre fermentato (Am. 4, 5), quarum sacrata Jehovae una sacerdoti traditur, sanguini spargendo qui praefuit Lev. 7, 12. 14. Similes Nasiraeus quoque sacrificaturus in canistro apportat Num. 6, 15 sqq. Qualis oblatio ansam habet in *coena* rite instituenda, cui nihil omnino desit, quod ad opimam spectat dulcedinem. In piaculis pariter quidem epularum quaedam ratio, sed uti sacerdotum sunt solorum, sic inter sacrarii carceres et sine ampla epulandi specie componendae. Contra salutarium opulentia effunditur his ipsis dapibus. Quarum ut perspiciamus finem inque eo genus et proprietatem, quid lauta omnino Israelitis convivia fuerint circumspiciendum est.

In eruenda hac re vix quidquam certius nos ducet, quam illud vaticinium Jes. 25, 6—8, quo propheta pernicie tyrannorum depicta refert Israelitis extremam salutem Messiae victoria fundendam. Concipit eam praesaga mens epularum visione omnibus populis in Zione monte instruendarum ex pinguissimis cibis, mero ex vino. Quae ita illustrantur, ut quae istarum gloriae ac gaudiis opposita sint penitus extinguantur, vela duram animorum noctem exhibentia, illam quae procreent tristitia, mors, luctus, populi dedecus. Summa telluris laetitia, beatae pacis formosum decus, tranquillae quietis festiva gloria, terrarum optimi fructus possessio, quo vita fulciatur non amplius multo sudore ex angustiis elaboranda, grata luxuria, haec sunt quae istis ex epulis piorum desiderio percipiuntur *). Et sacrificales eadem specie illustratae sunt dapes. Quid quod lege figuntur, ut vereri discant Israelitae deum perpetuo Deut. 14, 23? Panem se nuncupavit vitae, qui saluti redimendis sua in vita dedit vitam, Joh. 6, 48 **). Et sanctissimae dedit hostiae et carnem et sanguinem, ut pace fortunarentur, quicumque receperunt ***). David

---

*) Sufficiunt haec ad refutandam Joan. Dav. Michaelis opinionem, qua sacris epulis vulgari usui *cibos carneos commendari* sibi persuasit, Mos. Recht IV. p. 66.

**) J. D. Michaelis, typische Gottesgel. p. 81.

***) Novalis Schriften III. p. 269.

hostium in conspectu Ps. 23, 5 a Jehova stratas sibi videt mensas dulci felicitate beatus, hilaritate percelluntur quicumque ad illas accedunt Jehovae ob oculos Deut. 12, 12. 18. Hinc laetus ille splendor, quo ad mensam amicitias antiquitus iunxere Gen. 31, 54. Ex. 10, 25. 18, 12 coll. 24, 5*). Hinc illa voluptatis, gaudii, beatitudinis prodigia, quae ad ipsam regni divini felicitatem Christus applicuit Matth. 22, 1. 26, 29. Luc. 14, 16. Hinc Iudaeorum commenta, quae beatis animalia Behemoth et Leviathan cibum fore clamant [Henokh LVIII, 7; IV Esdr. VI, 47], quia nulla alia re citius allici possit humana natura, quam cibo ac potu, Sohar Gen. p. 321**). — Quam ob rem laeta ac festa epulas sacrificales coronat species 1 Sam. 9, 19. 16, 3. 5. 2. Sam. 6, 19 coll. Tob. 1, 12, et comissantes pacis ac gratiae sensum et profitentur et augent. Victima postquam Jehovae sacrificio tradita offerentium redit consecrata in usum, quo et extremi aevi gaudium praesensioni profundatur per vitam, et eae pingantur religiones, quae Jehovae se gratia vinctas tenent atque per omnem victus duritiem et calamitates beati gloriam divinant. Summa felicitatis terrestris specie ad coelestem evehitur persona, divina bona corripiuntur desiderio castis manibus, aeterna salus ac requies stillant in praecordia sacris dapibus recreata. Eo vergunt horrores, quibus gratiae divinae fulmina percutiunt mentem. Celebratur ita gloriosa sancti numinis revelatio, cuius larga bonitate vita ornatur et ipso ornatu deo subiicitur. Divinae gratiae sacramento terrenarum summa species gratiarum sancitur, ut homo non queat pingere beati ac beantis numinis desiderium, quin festis gaudiis adscendat ad eius divinationem ac praesensionem. Exire talia in gaudia sanctos diximus horrores. Laetitiae enim non plane pingunt arcanos huius vitae fontes. In horrore semper acerbi quid; dura haec vis religionibus quae inest ritibus se expressit, quibus epulae praeparantur. Quos certaminum istorum non male dixeris sigilla, quorum in angustiis mens

*) cf. Reimarus, Diss. de leg. Mos. p. 27.

**) v. plura ap. Gfroerer, das Jahrhundert des Heils II. p. 248. 34. Ceterum tales fabulas non plane insanae natas esse menti, libri Iobi exitus te doceat, siquidem immanes istas, quas cecinit, belluas בהמות et לויתן aliud quid spectare cognoveris, atque monstra quaedam Aegyptiaca.

obruta Jehovae beneficio eiusque cupida perinde atque Jacob noctu proeliatus Gen. 32, 26 exclamat: Non te dimittam, anteaquam benedixeris mihi. Suam vitam offert qui sacrificat sacrificii in materie. Jehovah *gratiosis* nunc qui effectibus praecordia aggressus est, tamen semper idem manet *sancto* et *perfecto numine tremendus*, cui homo non potest accedere nisi suis in donis. Ideo offeruntur caede, sanguine, flammis deo. Sed vitae quae offertur salus constituta est. Eius gaudia oblatae percipienda sunt. Inde factum, ut factae deo materiae*) participes rursus fierent simul qui dederunt. Divina gratia oblatam sibi vitam non vult nisi sancire, ut restituatur offerenti clariore luce suffusa, sancta beatitudine donata. Dato dono apparet sancta mens, et pietas inter data et condonata se dividens gratias agit tam uberis beneficii largitori**), quando dulci eius fructui altius immergit praecordia. Atque duplex haec coena. Sacerdotes sacerdotali fruuntur, sacratus Jehovae populus sacrata. Tugurii limina, quorum illos a populo segregat veneratio, etiam mensas distinguunt. Sancti vescuntur sancta vitae fruge.

Iam vero haec epularum si religio, cur totae familiae arcessuntur, cur tam festinanter de tabula moventur? Prius praeceptum ad formam mere spectasse epularum noli credere Baehrio, neque divina harum benignitate ad benignitatem non stimulari animos. Nam si prius re vera valuisset, quicumque fuere hospites poterant hoc commodum afferre, et alterum potius adductis egenorum ac miseria obrutorum manibus, fuisset demonstrandum, id quod fortuita legis ratio ipsa docet Deut. 12, 18. 16, 11. Inhaereat disquisitio necesse est in vi ac natura *familiae*, qua divino rerum universitatem gubernandi ordini inserta est. Homo nequaquam solitarius est, sed catenae membrum amplectitur per familiam expansae. In ea vitam uti excepit, ex ea uti natus, ita haustam in eadem et colit et nutrit et promovet. Vitam non sentit nisi familiae consanguinitate fultam. In ea gratiosum Jehovae numen expertus est, huius vinculis inflictus profert reli-

---

*) Iam Philon de vict. p. 651. D. ait: *εἰσὶ γὰρ οὐκέτι τοῦ τεθυκότος, ἀλλ' ᾧ τέθυται τὸ ἱερεῖον.*

**) Cypriani verba sunt Apol. Conf. Aug. p. 269.

gionem ex ea susceptam. Si miseris aperitur ac pauperibus ad sacram hanc mensam aditus, offerentis in salute et gaudio, in gratibus et laude ei exponuntur sensus, quibus beatus nequit tolerare doloris acerbitatem, ubicumque pectoris quietem vexat et conterit*).

Sed breves sunto et concisae epularum laetitiae. Nam fugax hora secum rapit vitae vices. Quovis mane nova Jehovae gratia, quovis vespere denuo obscuratur. Neque piorum sensus manent constantes, neque sacramenti auguria perpetuo lucent menti. Haec rerum *fuga* non in luctuosis humano ingenio revelatur tenebris, quarum dira nox *aeternis* se provolvit angoribus, sed lucida gratiae in flamma, quando feliciter fervens *citius* desiderio pallescit. Quis est quin meminerit fortunae certo stare loco nesciae? Anceps labat, ludit in humanis rebus. Casum habent mortalia. Num quid haeres in sigillo huius fugae sacris impresso, quae ipsos hos sensus fundunt? Festivae dapes ac splendidae. Sed horae premantur vi, ut *humanae* veram salutis praebeant ac laetitiae imaginem. Inde illius tibi discriminis ratio patebit, quo votivae et voluntariae victimae residua in posterum diem recondi fas est, laudativae non item. Namque fixae quae cadit *legis* necessitudini, huius omina caducae hominis naturae celerius corruent. Durant felicius, qualiacumque germinant in anima *liberali* impulsu deo data.

Gratia divina qui hominis aggrediatur naturam, cuncto caerimoniae complexu celebratur. Lucet uti privatorum vitae, sic nationi universae. Ubi generali rerum in successu cernitur Lev. 7, 12, ubi festorum dierum celebritate Num. 10, 10, ubi votorum convinctione Num. 6, 14. Lev. 7, 16. 22, 21, semper *benignos* expromit actus, quibus animorum motus constringuntur, ut salutariis donis praedicent divitem salutis largitorem. Et si nationis

*) Certe Saadi egregie cecinit:

چو بینم که درویش مسکین نخورد
بکام من لقمه زهر است ودرد
یکی را بزندان درش دوستان
کجا ماندش عیش در بوستان

historiam lustramus, ad initiamenta rite perpetranda Ex. 24, 5. 2 Sam. 6, 18. 1 Reg. 8, 63. 1 Makk. 4, 56, ad regni laeta auguria 1 Sam. 11, 15, ad suscepta pericula et perducta felicem ad eventum Deut. 27, 7. Jos. 8, 31, ad messem clementer datam Lev. 23, 19, ad omnia bona ut absolvantur accedunt ista sacrificia. Gratiosi autem Jehovae numinis non rebus prosperis solum et secundis suo populo expanditur salus, sed in *aspera* quoque et *adversa* sentit sorte aeterni beneficia. Ideo salutarium ritu Iud. 20, 26. 21, 4 etiam in publicis calamitatibus offerri queunt sacrificia*). Duras enim terrae per vices casta Israelitarum pietas excepit Jehovae gratiam. Victi quidem sunt dei milites. Sed Jehovae consilium ad proelium expetitur et datur v. 28, et ipso gladio testatur gratiam v. 35. Et in luctu quoque interitus Beniaminitarum victoriae dulcedo ad gratiae sensus evocavit. Plagae tormentis contristatus, qua populum affecerat regis insolentia, qui David esset oblitus almae manus, cui ipsi dolores fundunt misericordiam? 2 Sam. 24, 25.

Non offeruntur salutaria sacrificia per se, sed ita, ut solidis adstruantur. Ex. 20, 24. 24, 5. 32, 6. Jos. 8, 31. Jud. 20, 26. 1 Sam. 10, 8. 13, 9. 2 Chron. 31, 2. 1 Macc. 4, 56. Nam Jehovae sanctam benignitatem non potest vere celebrare, nisi qui totum se Jehovae maiestati dederit. Jehovae gratiam non potest sentire, nisi aeterno se qui foederi adactum testatur. Quae requiescit in deo religio aeternos salutis tramites laeta signat ac festa verecundia.

---

*) Mirum est, quanto opere haec sacra interpretes cruciaverint. Ineptissime Gramberg, Religionsideen des A. T. I. p. 107. contendit antiquitati tunc nondum discrimine hunc ritum distinctum fuisse. Cui adversum si Hengstenberg, Beitr. III. p. 85 sqq. caedi docet sacrificia ob *quaesitam* salutem, tali iudicio assentiri nequeo. Adversatur enim lugubris quae accedit lamentatio et necessitas omnino, qua religiones exprimi signo non possunt, quae non revera adsunt iam. Salutis gloria qui non suffusus, ille pro salute non sacrificat. Non quaerunt enim ritus salutem, sed pingunt religiones inde susceptas. Hoc si negatur, intima deletur differentia, quae piacula dirimit a salutariis.

LIPSIAE

IMPR. GIESECKE & DEVRIENT.

In demselben Verlage sind ferner erschienen:

Caspari, Prof. D. **P.**, **Ueber den syrisch-ephraimitischen Krieg** unter Jotham und Ahas. gr. 8. geh. 1850. 16 Ngr.

—— **Ueber Micha den Morasthiten** und seine prophetische Schrift. 2 Thle. gr. 8. 1851 und 1852. 2 Thlr. 16 Ngr.

Von diesen beiden auf Kosten der Universität Christiana gedruckten Schriften hat die Verlagshandlung eine Partie für den Debit in Deutschland übernommen.

Delitzsch, Prof. D. **F.**, **Die Genesis**, ausgelegt. *Zweite* umgearbeitete und erweiterte Ausgabe. gr. 8. geh. 1853. 3 Thlr. 10 Ngr.

Delitzsch, Prof. Dr. **F.**, **Das Hohelied**, **untersucht und ausgelegt.** gr. 8. geh. 1851. 1 Thlr. 2 Ngr.

Inhalt: Die Einheit und Integrität des Hohenliedes. — Die Stellung desselben inmitten der alttestamentlichen Literatur. — Innere Berechtigungsgründe zur Voraussetzung des salomonischen Ursprungs des Hohenliedes. — Die Sprachform desselben. — Die zeitgeschichtliche Auffassung Hofmanns. — Die synagogal-kirchliche allegor. Auffassung. — Die dramat. Kunstform des Hohenliedes. — Uebersetzung und Erläuterung desselben. — Sein ethischer Charakter. — Sein idealer Charakter. — Die Idee des Hohenliedes. — Das Mysterium desselben.

Delitzsch, Prof. Dr. **F.**, **Symbolae ad Psalmos illustrandos isagogicae.** Disseritur 1. de Psalmorum indole partim jehovica partim elohimica; 2. de Psalmorum ordine ejusque causis ac legibus. 8maj. 1846. brosch. 18 Ngr.

—— Neue Untersuchungen **über Entstehung und Anlage der kanonischen Evangelien.** Erster Theil: Das Matthaeus-Evangelium. gr. 8. geh. 1853. 16 Ngr.

Kahnis, Prof. Dr. **K. F. A.**, **Die Lehre vom Abendmahle**. gr. 8. geh. 1851. 2 Thlr. 10 Ngr.

In Petri's Zeitblatt für die Angelegenheiten der lutherischen Kirche, 1854 Nr. 42, wird über dieses Werk gesagt: „Man hat die Katheder der Professoren wohl Lehrkanzeln genannt; „hier ist ein Buch, das den Namen wahr macht; voll klarer, ihrer selbst gewissen Lehre, ist es „mit einer Frische, Kraft und Gehobenheit des zeugenden Glaubens geschrieben, daß man von „ihm sagen darf: „aus Glauben zu Glauben." Es zerfällt in zwei Bücher, deren erstes in „fünf Kapiteln die Schriftlehre entwickelt, während das zweite im ersten Kapitel die Geschichte „der Lehre bis auf die Reformation, im zweiten die lutherische Abendmahlslehre, im dritten „den dogmatischen Abschluß enthält. Segne uns Gott diese Kräfte!"

Kurtz, Prof. Dr. **J. H.**, **Beiträge zur Symbolik des alttestamentlichen Cultus**. Erster Beitrag: Zur Symbolik der Cultusstätte. gr. 8. geh. 1850. 10 Ngr.

Lindner, Prof. Dr. **G. B.**, **De Joviniano et Vigilantio** purioris doctrinae 4° et 5° saeculo antesignanis. 8maj. 1839. 5 Ngr.

—— **Symbolae ad hist. theol. mysticae.** De Macario. 8maj. 1846. 5 Ngr.

Protokolle der Conferenzen von Gliedern und Freunden der lutherischen Kirche in Leipzig:

Abdruck der von der Conferenz am 30. und 31. Aug. 1848 angenommenen Sätze. gr. 8. geh. 2 Ngr.

Protokoll über die Verhandlung der am 30. und 31. August 1848 gehaltenen Conferenz. Nebst Beilagen. gr. 8. geh. 6 Ngr.

Frantz, Bericht über die am 29. und 30. Aug. 1849 gehaltene Conferenz. gr. 8. geh.

Mehlhorn, Dr. H. G., Darstellung der Verhandlungen der am 27. und 28. Aug. 1851 gehaltenen Conferenz. Nebst Dr. W. F. **Besser's** Vortrag über Kirchenzucht und anderen Beilagen. gr. 8. geh. 9. Ngr.

Die Leipziger Conferenz am 31. Aug. und 1. Sept. 1853 nach dem Protokolle dargestellt, nebst vollständigem Abdrucke der Vorträge von Prof. Dr. **Kahnis** über die moderne Unionsdoctrin und von Sup. **Münchmeyer** über unsre Stellung zur römischen Frage. gr. 8. geh. 8. Ngr.

Rudelbach, Dr. A. G., Christliche Biographie. Lebensbeschreibungen der Zeugen der christlichen Kirche, als Bruchstücke zur Geschichte derselben. Erster Band. gr. 8. geh. 1850. 2 Thlr. 20 Ngr.

Dieser Band enthält: Cyprianus. Ambrosius. Johannes Tauler. Die ersten evang. Märtyrer in den Niederlanden: Heinr. Voes, Joh. Esch, Lamp. Thorn und Heinrich v. Zütphen. Jesper Swedberg. Hans Egede. Joh. Heinr. Jung (Stilling).

In einer Besprechung des Werkes in der Zeitschrift für Protestantismus und Kirche (1852 Jan). wird gesagt:

„Das vorliegende Buch ist durch und durch erbaulich: geschrieben von einem Manne, dem man in jedem Wort seine glühende Liebe zu Christo und der Kirche anmerkt, geht die Absicht immer dahin, die Führung, die Gott seiner Kirche hat angedeihen lassen, zu preisen, die Wahrheit, welche die Kirche verkündet, zu rechtfertigen, die Kräfte, welche der Kirche mit dem Evangelium gegeben sind, in ihrer ganzen Größe darzustellen. Das ist wohl der Endzweck jeder kirchengeschichtlichen Arbeit, oder soll es wenigstens sein, aber nicht immer ist es der Beruf des Kirchengeschichtschreibers, das so unmittelbar hervortreten zu lassen, und noch seltener findet sich in so hohem Grade die Gabe, erbaulich über Kirchengeschichte in der Art zu schreiben, daß doch überall die Thatsachen reden und die Anwendung sich wie von selbst aus den Thatsachen und Ereignissen ergiebt. Das nun scheint mir der größte Vorzug dieses Buchs zu sein: der Leser wird darin nicht nur von einem Manne, der die gründlichsten kirchengeschichtlichen Studien gemacht hat, belehrt über hervorragende Persönlichkeiten der Kirche und über bedeutungsvolle Zeiten, sondern er wird darin auch von einem Manne, der alle Ereignisse und Erscheinungen in der Kirche mit tiefem Urtheil durchdrungen und in ihrer Beziehung zum Reiche Gottes wohl erkannt hat, angeleitet, alle diese Erscheinungen im Lichte der ewigen Wahrheit zu erkennen, und ich wüßte kein Buch zu nennen, aus dem man mehr lernen könnte, wie fruchtbar die Kirchengeschichte werden kann, wenn sie mit den rechten Augen angesehen, mit dem rechten Geiste aufgefaßt wird."

Ströbel, K., Zum protestant. Jubiläum im J. 1848. gr. 8. geh. 4 Ngr.

Ein nicht unwichtiger Beitrag zur Geschichte des Augsburger Interims von 1548, mit Nachrichten von, und kurzen Auszügen aus einigen zwanzig gleichzeitig erschienenen, meist äusserst selten gewordenen Schriften über jenen kaiserlichen Unionsversuch.

Zeitschrift für die gesammte lutherische Theologie und Kirche, herausgegeben von Dr. **A. G. Rudelbach** und Dr. **H. E. F. Guericke.** 9. Jahrg. (1848) bis 15 Jahrg. (1854). Jeder Jahrg. 4 Hefte zu 25 Ngr. gr. 8. geh.

Der Preis jedes der completen Jahrgänge 1848 und 1849 ist auf 1 Thlr. 10 Ngr., der des Jahrganges 1850 aber auf 2 Thlr. herabgesetzt. Der Preis der Jahrgänge 1851—1853 bleibt 3 Thlr. 10 Ngr.

Das 1. Heft des Jahrg. 1854, welches so eben erschienen ist, enthält:

Dr. **A. G. Rudelbach**, Das Parochialsystem und die Ordination. 2. Abtheil.

E. Gundert, Der erste Brief des Clemens Romanus an die Corinther. 2. Artikel.


R. Rocholl, Zur Naturphilosophie.

K. Ströbel, Unionistische Fahrgelegenheit nach Rom.

D. P. Bötticher, Versuch einer Herstellung des Canon Muratonianus.


W. Dieckmann, Die streitende Kirche.

Allgemeine krit. Bibliographie der deutschen neuesten theologischen Literatur.





3 2044 054 200 357




3 2044 054 200 357





